Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
19 B
2

Digitized by Google


DE
VITA, ET REBVS GESTIS
GABRIELIS PALAEOTI.
S. R. E. Cardinalis,

Primiq; Bononienſis Archiepiſcopi, & Principis.

A V C T O R E

D. ALEXIO LEDESMA,

Clerico Regulari Sancti Pauli, & Pœnitentiario in Bononienſi Metropolitana.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bononiæ, Typis Caroli Zeneri. 1647. *Superiorum permiſſu.*

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſs.

D. FRANCISCO PALÆOTO,

Bononienſis Metropolitanæ Archidiacono

D. ALEXIVS LEDESMA.

CVr tibi uni, Illuſtriſſime Franciſce, libellum de Vita, & Rebus Geſtis Gabrielis Palæoti commendem, tàm multiplex ratio eſt, vt quandò illum potuiſſem tibi dicatum nolle, non debuiſſem velle. In ſolo Palæoto enati, adultique flores nonniſi Palæotorum floridiſſimo Viro erant offerendi. Cardinalis deinde Palæotus, tamquam LILIVM, non modò in ſtemmatis proſcenio luſit, verùm etiam in virtutum Symbolis proluſit: manibus tuis LILIVM hoc tractari omninò debebat, a quibus innocentia vel candorem mutuari poteſt. Ille Bononienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus morum præſtantia candicabat, rutilabatque auro charitatis: Tu eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus candidiſſimæ vitæ ratione; & inaurata erga miſeros beneuolentia niuis haud inuides candori, auri non cedis ſplendori. Inter purpuratos ille adſcriptus Partes non tam Gentilitijs MONTIBVS, quàm ſuis virtuti-

bus Vaticani Imperij Cęlum ferè attigit: Tu modeſtię ornatus purpura, vere is Gigas, giganteo ſapientię conatu, non Montes Montibus, ſed virtutes virtutibus ſuperimponis, vt glorię Cælum impugnare poſſis & expugnare. Litterarum ille monumenta plurima in virtutis Capitolio triumphans reliquit: Tibi in diſciplinarum Athenęo, hoc eſt, Bononię, litteratos omnes ex toto terrarum Orbe confluentes Laurea coronandi Imperatoria tradita eſt non tàm auctoritas, quàm maieſtas. Familiarium MONTIVM eo fortè conſilio penetras faſtigium, vt Aſtręam è Cęlis reuoces, eamque tuis Iuriſprudētię Candidatis, pręclara cū Palaoti nominis laude, reſtituas. Ad hos MONTES neſcio, an fugiat, vel confugiat Libellus meus: ad hæc LILIA ſiſtit huius Hiſtorię monumentum. Vndique habeo optimę ſpei argumenta. In Alexandri Pij nummis Lilium, tamquàm felicitatis nota, depingebatur: in his pagellis florida Palęotorum LILIA, veluti fauſtitatis omina, inſcribuntur. Quidni igitur tot nominibus debitum tibi Opus tuis dicarem meritis, tuis auſpicijs commendarem?

BENEVOLO LECTORI

AVCTOR.

EO vultu, Lector, Gabrielis Palæoti Res geſtas lege, quo Lilia leguntur. Lilium fuit; non tàm ſtemmatis proluſione, quàm virtutis imagine. Lilium floruit inter rerum caducarum ſpinas, ex quibus nitidius exurgens, ac pulchrius; non horarium, ſed æternum exhibebit gloriæ ſpectaculum. Adſunt cohoneſtandæ Lilij huius pompæ purpurata charitatis roſa, pallida temperantiæ viola, croceus pietatis narciſſus, cæruleus pœnitentiæ hyacinthus, nigrum demiſſionis vaccinium, adeſt reliqua florum electa, ſelectaque familia, adq; ad Lilij radices ſe ſe abijcit venerabunda. Ignoro, an Lilium noſtrum ſit candidum, vel purpureum: ſcio candorem ſine amore, virginitatem ſine charitate, argentum ſine auro vileſcere. Cardinalis Palæotus candidus fuit caſtimoniæ laude, ac rubicundus charitatis ardore. Iccircò purpuratum eum magis crederem, non modò quia Vaticana fulgebat purpura, verùm etiam quia tanto ſedem, fidemque Apoſtolicam colebat opere, vt eam libenter obſignaſſet ſanguine, maluiſſetq; hac ſecunda purpura rubere, quàm prima. Ceterum huic Lilio nihil ſpinoſum miſcere potuit diuitiarum cupiditas, nihil voluptatum titillatio, nihil dignitatum luxus. Addidi ego ſpinas horridæ dictio-

nis;

Digitized by Google

nis; ſed ſi quos ſpinæ offenderint; Lilio recreabuntur. Forſan in manibus tuis, Lector, commutabuntur in purpureas roſas. Interim caue, ne obtrectatione Lilium attractes. Tactum omnem amittit decorem. Gabrielis Vita ſit tibi liber Vitę; & dum exemplar intueris morum, bonis ne ſine moribus librum è manibus demittas.

Ceterum omnia, quę in eo continentur, deſumpta ſunt ex Vitis Pontificum; ex Sigonio de Epiſcopis Bononienſibus; ex oratione in eius funere impreſſa; ex manuſcriptis, quę apud Palęotos aſſeruantur; ex viuorum relatione, & ex alijs monumentis. Illa autem eo conſilio fuere conſcripta, ne Princeps Eccleſiaſticus, multis ornatus virtutibus, ea careret hiſtoria, quam, ęmula ſcriptorum contentione, habere ſolent profani viri, qui vix è primo limine ſimulacrum virtutis ſalutauere.

PROTESTATIO AVCTORIS.

QVamuis in hac Vita Gabrielis Palæoti nulla reperiantur miracula, reuelationes, prædictiones, & huiuſmodi alia, tamen præmitto, quatenus opus ſit, eam proteſtationem, quam præmittere ſolent Auctores in cōſcribendis geſtis illuſtrium virorum iuxta decretum Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. factum in S. Congreg. Vniuerſalis Inquiſitionis die 13. Martij 1625. & renouatum die 5. Iunij 1631. Quare profiteor, me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Cathol. Rom. Eccleſiæ, aut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur.

D. BA-

D. BAPTISTA CRIBELLVS,

PRÆPOSITVS GENERALIS

Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli.

CVm librum, cuius eſt titulus (De Vita, & rebus geſtis Gabrielis Palęoti,&c.) *a Patre Don Alexio Ledeſma, Congregationis noſtræ compoſitum duo, quibus id commiſimus, eiuſdem Congregationis eruditi viri recognouerint, & probauerint: facultatem facimus, vt in lucem edatur; ſi & alijs, ad quos ſpectat, ita videbitur. Dat. Mediolani in Collegio noſtro Sanctorum Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ die* 20. *Auguſti* 1647.

D. Baptiſta Cribellus, Præpoſitus Generalis.

Digitized by Google

V. D. Franciſcus Maria Venantius Præpoſitus Clericorum Minorum Bononiæ pro Eminentiſs. D. Card. Ludouiſio Bonon. Archiepiſcopo ac Principe.

D. Andreas Cuttica Pœnit. Rector pro eodem Eminentiſſimo.

Imprimatur

F. Dominicus Manfredus pro Reuerendiſs. P. Inquiſitore.

Digitized by Google

DE VITA, AC REBVS GESTIS GABRIELIS PALAEOTI. S. R. E. Cardinalis,

Et Primi Bononienſis Archiepiſcopi

LIBER PRIMVS.

Gabrielis Genus. *Cap. I.*

CVm primùm Eccleſiam Bononienſem ſanctiſſima vitæ ratione genitam, ac beatiſſimorum Antiſtitum ſinu exceptam ſapientiſſimus rerum omnium Opifex, ac ſupremus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ moderator excitauit in Orbe terrarũ, tàm admirabili eam conſilio ad hæc vſq; tempora, perenni illuſtrium Præſulum ſanctimonia aluit, fouitq; vt ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ nobiliſſima attulerit gloriæ ornamenta. In ijs quàm ſplendidiſſimè emicuit Gabriel Palæotus Cardinalis, & primus Bononienſis Archiepiſcopus, cuius vitam, actioneſq; litteris mandare

aggreſſi, de proximis eius gentilibus initio pauca memorabimus. Ac ne multis recenſendis longiùs ab inſtituto meo digrediar, neue Palæotæ gentis nomini, quod Bononiæ illuſtriſſimum, ac celeberrimum ſemper fuit, tenebras offundam, a Vincentio paterno Gabrielis Auo, tamquàm a propinquo, clarioreq; generis lumine, narrationem breuiter inſtituam.

Claruit is anno a Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto; quo tempore, Bononiæ, hoc eſt, apud ſtudiorum Matrem, Doctorum in Collegium adſcitus, qui honor ea in Ciuitate fuit ſemper ampliſſimus, magna cum laude, pariq; auditorum frequentia ius ciuile publicè docere cœpit. Et cum multa, eaq; præclara de iure reſponſa redderet, ex ijs pleraq; vnà cum libro, qui de dote extat inſcriptus, typis impreſſa circumferuntur. At non doctrina ſolum, ſed ea quoq; morum ſuauitate, & integritate vitę cum ſingulari prudentia coniuncta præſtitit, vt vnus ad mortalium animos ſibi conciliandos, officijſque deuinciendos natus eſſe videretur. Quare cum de illius virtutum laudibus percrebreſceret fama, hæc ad exteras quoq; gentes, ac primarios viros, præcipuè ad Henricum ſeptimum Anglorum Regem, per idem tempus inter Chriſtianos Principes ſapientiæ, & Catholicæ Religionis cultu florentem, penetrauit. Is hominis celebritate permotus, eum ad ſe honorificè euocatum ad res grauiores deliberandas, gerendaſq; ſibi conſiliarium adhibuit, ipſumq; regijs inſignibus, & ampliſſimis decretis, quæ ad Palęotæ familię poſteros etiam ornandos pertinerent, dato regio diplomate, cohoneſtauit.

Tot egregias animi dotes non in ſolo concluſit Vincen-

cen-

centij pectore fœcunda natura, ſed & in poſteros adeò felici propagatione transfudit, vt è duabus vxoribus, quarum alteram duxit è Caſtellia, alteram ex Foſcheraria, vtraq; nobili familia Bononienſi, triginta circiter liberos ſuſceperit, eoſq; quod magis admirere, mares omnes præter vnam fœminam, quæ Philippo Beroaldo nupſit, tantæ eruditionis viro, vt ob eximiam doctrinam, & eloquentiam communi vocabulo Bibliotheca loquens appellaretur. In quo ſanè Vincentij feliciſſimam probitatem licet agnoſcere; cui diuino munere datum eſt, vt ex alta magnarum virtutum radice non pauca clariſſimæ poſteritatis germina propagarentur; eiq; ex Anglia in Patriam reuerſo ex liberis ſuis vndecim ſuperſtites, tamquàm nouellos oliuarum ſurculos virtutum pulchritudine, innocētiæq; vigore florētes, & ad mensā ſuam, quod de viro iuſto regius Vates futurum præcinit, circūſedentes, incredibili animi voluptate intueri licuerit. Illud deniq; feliciter eſt conſecutus, vt quos viuens auitæ, patriçque virtutis imitatores videre meruerat, eorum octo, qui ſupererant, pijſſimos paterni funeris ductores mortuus, triumphi loco, haberet. Nouo enim, atq; inuſitato pietatis exemplo, quod ipſemet octogenarius è vita cedens teſtamento ſtatuerat, ipſi filij ſuis humeris demortui parentis corpus ad ſepulchrum detulerunt.

Ceterum ex hac vberrima prole cum nemo non fuerit, vt diximus, virtutibus ornatus, alijq; religionis cultu, alij doctrina, militari laude nonnulli, omnes denique probitate vitæ pręſtiterint; nos, ne lōgius, quàm par eſt, eorum ſeriem ſcribendo protrahamus, quod ad rem noſtram attinet, ex his quattuor tantùm excipiemus, quorum Gabriel Cardinalis pietatis, littera-

rumq;ſtudia diligentiſſimè eſt imitatus. Hi fuere Dionyſius, Gabriel, a quo hic noſter nomẽ accepit, Camillus, & Alexander. Priores illi ambo cæleſtia ditiſſimæ paupertatis cõſilia prudenter, pièq; ſecuti, in arctioribus Franciſcanæ familiæ clauſtris ſuaue Chriſti Saluatoris noſtri iugum ſubierunt. Ac Dionyſius quidem religioſæ profeſſionis in ſtudio tantopere profecit, & ad eum virtutum omnium peruenit apicem, vt Placentiæ in ſui ordinis cœnobio ad S. Mariæ Magdalenæ non ſine ſanctitatis opinione deceſſerit; eiuſque corpus tamquam beati viri habitum, magna deinceps ibi fuerit apud omnes veneratione. Gabriel verò cum Clemente Maniliano Generali eiuſdem Franciſcani ordinis Miniſtro, qui deinde fuit S.R.E. Cardinalis Tituli ſanctæ Mariæ de Aracæli nuncupatus, familiariſſimè vixit; eique vnicè carus, & vtilis in grauioribus illius ordinis negotijs, tam in Cardinalatu, quam antea fidelem illi operam nauauit.

Camillus porrò liberalibus diſciplinis, nobilique viro dignis artibus inſtructus, non minus integritatis, quàm eruditionis laude floruit; eiuſque neceſſitudine, & ingenij ſuauitate cum alij ſummi viri, tùm in primis Iacobus Sadoletus, Federicus Fregoſius, Petrus Bembus, alijq; nonnulli Cardinales doctrinarum, ac virtutum laude præſtantiſſimi, mirum in modum oblectati, hominem omni officiorum genere ſunt vbique proſecuti.

Alexander denique Vincentij patris veſtigia ſecutus, ius Pontificium publicè magna cum laude interpretando parem ſibi ferè gloriam comparauit. Romæ quidem, quò ſe contulerat, eam ſui expectationem breui concitauit, vt ad maiores honorum gradus in

eo totius orbis theatro facilè ab ominbus deſtinaretur. Sed enim fratribus iam vita functis, Bononiam ad rem & publicam, & priuatam adminiſtrandam reuocatus,Senatoriaq; auctus dignitate,non minùs egregij Senatoris, quàm prudentis patris familias partes impleuit; ductaq; in matrimonium ex nobili Volteiorum Bononienſi familia, ſpectatę virtutis fœmina, ex ea tres liberos, Camillum, Gabrielem, & Neſtorem, duaſque filias genuit, quarum vna in Mangiolorum claram Bononiæ gentem recepta tranſijt; altera verò in cœnobio corporis Chriſti, in eadem Vrbe Deo deuota, ſanctè ex hac vita migrauit. Ceterum Camillus ſingularis vir ingenio,parique integritate,& eruditione præditus, non minus egregiæ pietatis, quam exquiſitæ doctrinæ laudibus excelluit; Senatoriaque dignitate, & alijs ampliſſimis muneribus integrè, diuque perfunctus, varijs in difficultatibus magno ciuibus ſuis auxilio fuit pariter,& ornamento. Cumque in rebus arduis prudenter agendis, & explicandis auctoritate, conſilioque valeret, & induſtria, multis pro Patria laboribus, incommodiſque ſuſceptis, eam ſibi apud omnes exiſtimationem comparauit, vt ſæpè publico decreto apud Summos Pontifices Orator conſtitutus pro Republica ſua honeſtiſſimã, ac diuturnam obierit legationem. In his tamen negotiorum fluctibus ad optatam otij litterarij quietem identidem ſe ſe referens,multa, quæ poſteris iucunda forent, & vtilia, & eleganter,& doctè ſcribere conſueuerat. Neſtor vero, & ſi aulicam ſectatus diſciplinam, firmo tamen integritatis, acpietatis præſidio communitus, magnam ſibi apud Principes viros gratiam, & exiſtimationem conciliauit. Galeatius tandem Camilli iunioris filius,

ac

ac Senator, in quo paternæ, & auitæ probitatis effigies, & virtus elucebat, Palaetorũ decus fuit, & ornamentũ.

Gabrielis ortus, & educatio. Cap. II.

ANno igitur a Virginis partu quingenteſimo viceſimo ſecundo ſupra milleſimum IV. nonas Octobris, qui dies Sancto Petronio Epiſcopo, Bononienſium patrono, cui in Paſtorali munere ſucceſſurus erat, ac Beato Franciſco, quem Palæota familia peculiari Religione veneratur, ſacer eſt, ijs, quos diximus, parentibus Bononiæ natus eſt Gabriel. Eius verò mater, nomine Gentilis, Alexandro marito immatura morte prærepto, cælibem vitam agens, familiæ curam ſuſcepit; atq; vt erat prudentis, ac pij mulier animi, nihil habuit antiquius, quam vt liberi teneræ adhuc ætatis, fidei ſuæ, tutelæq; commiſſi diligenter inſtituerentur; eorumq; ingenia ſanctitate quadam, liberaliq; modeſtia, in primis verò Chriſtianis moribus, ac litteris, conquiſitis ſumma diligentia præceptoribus, imbuerentur. Intelligebat enim ſpectatæ mulier pietatis, nullam parentibus curam magis incumbere, nullum ſplendidius, aut amplius ab illis patrimonium, nulla firmiora vitæ præſidia, aut ſpecioſiora filijs parari, aut relinqui monumenta poſſe, quam ſi eos ſanctiſſimis moribus, optimiſq; diſciplinis inſtructos relinquerent. Ineunte verò ætate Gabriel ingenio a litterarum ſtudijs alieno, & ad arma potius tractanda propenſo eſſe videbatur. Nam & ludi litterarij, & preceptoris nomen odiſſe, ab ijs deſugere, & ſpectaculis, ludicriſq; certaminibus magis oblectari conſueuerat. Quæ res illi diuino iuditio, ad melio-

meliora ſe ſe ſtudia conuertendi fuit occaſio. Dum enim aliquãdo in Bentiuolorum area prope paternas ædes vnà cum fratribus luderet, nonnullis amentata iacula contorquentibus,ex ijs vnum ex alto decidens, eius genu traiecit. Quo ex vulnere poſt longam curationem magna medicorum induſtria, ne perpetuò claudicaret, vix præcauente, puer conualuit: eoq; periculo Dei beneficio liberatus, animum adiecit, vt a rebus inanibus, ac ludicris ad grauiores, & meliores ſe ſe curas transferret: & quò magis antea a ſapiẽtiæ domicilio abhorrebat,eò vehementius illud deinceps frequentaret. Deo namq; ſolemne eſt, ex malis bona ſapienter elicere, & nonnulla interdum incommoda permittere, quibus admoniti mortales ad meliorem frugem conuertãtur. Simul atq; enim puerilia rudimenta primoribus, quod aiunt, labris, ac libris Gabriel deguſtauit, tanto conatu, tàmq; pertinaci cura litterarum ſtudijs dare operam inſtitit, vt vires corporis, præſertim ſuapte natura non admodum firmas, ſupra modum affligeret, eademq; illi ad extremum vſq; diem fuit vitæ ratio, vt fręno ſemper indiguerit, ac Pędagogo,qui eum ab immoderato ſtyli, ac librorum vſu,immutatis ſui officij curis,reuocaret. Hac tamen habitudine corporis, & inducta conſuetudine, quaſi altera natura, labores temperante, ætatem non affectam,aut morbis tentatam, ſed vegetam, ſatiſq; valentem ad extremam produxit ſenectutem, ac labore, & induſtria non minus, quàm ingenio difficillima quæq; ſuperans, ſingulariq; temperantia ſe ſe moderans, ad ſuprema virtutum, & honorum faſtigia, vti dicemus, Deo benè iuuante, peruenit.

Grammaticis igitur præceptis, ac muſicis etiam, qua-

quatenus nobili ingenio ferè ſatis eſſet, iam eruditus, duodecimum agebat annum, cum his, atq; alijs altioris ordinis diſciplinis intentus, in Ancarano Collegio, quod in Bononienſi gymnaſio ad nobilium iuuenũ educationem Petrus de Ancarano ex Farneſia familia olim inſtituerat, ſummæ ſpei adoleſcentulos, primariæq; nobilitatis principes vnà cum fratribus contubernales habuit. In ijs precipui fuere Alexander, & Octauius fratres Farneſij, & Guido Antonius Sfortia nepotes Alexandri tùm Cardinalis, qui mox ad ſummum Pontificatum euectus Paulus III. appellatus eſt; ex quibus Octauius Parmæ, Placentiæq; Dux, reliqui verò ambo Cardinales fuere. Quibus cum arctæ neceſſitudinis vinculis coniunctus Gabriel, amicitiam a teneris initam, ac ſtudiorum, & morum ſimilitudine partam, altioribuſq; deinde virtutum firmatam radicibus, & mutuis coluit officijs, & honeſtiſſimis perpetuo ſtudijs auxit, & conſeruauit. In eo verò contubernio quamuis libros aſſiduè legendo tereret, nullis tamen pietatis in Deum, nullis humanitatis erga ſocios deerat officijs, quibus imprimis & ſibi diuinam gratiam magis conciliaret, & cum aliorum, tùm potiſſimùm Alexandri ſibi animum deuinciret. Ceterum ab eorum moribus abhorrebat, ſi quos vidiſſet diuinis humana, terrenaq; cæleſtibus præferentes, ingenijq; ſui viribus, aut caducis opibus præfidentes, ita ſe vel humanis diſciplinis capeſſendis, vel hominum gratiæ ciuilibus artibus aucupandæ tradidiſſent, vt Dei cultum, ſanctarumq; virtutum, quibus vera, & æterna gloria comparatur, exercitationem poſthabere viderentur. Itaq; Gentilis mater magno, ac ſingulari ſe Dei beneficio dignatam eſſe profitebatur;

quod;

quod ſibi optimæ indolis liberos habere, & per virtutum ſemitam ad veram laudem anhelantes,& honeſtiſſima proborum principum conſuetudine florentes videre contigiſſet. Non enim ignorabat, tales ferè quemq; mores imbibere ſolere, quales, præſertim in adoleſcentia, ſocios haberet, ac propterea maxima ad filios optimè educandos in Societatis delectu momenta conſiſtere. Sed inter hæc elapſo ferè triennio, Farneſij ab auo Paulo ſummo Pontifice creato Romã reuocantur, qui licet ampliſſimis aucti dignitatibus, nihil tamen de ſua erga Palęotos voluntate, ac beneuolentia remiſere, nullumq; in ipſis ornandis locum, aut tempus, aut officij genus prætermittere viſi ſunt. Immo verò Alexander lectus Cardinalis, Neſtore in ſuam familiam adſcito, ad intima conſilia, grauiſſimaq; negotia libenter vtebatur. Cumq; Camillo domeſticarum rerum curatio relinqueretur, Gabrielem ſæpè liberaliter iuuit, atq; vt ſtudiorum ſuorum curricula quamprimùm abſolueret, currentem,propoſitis virtutum ornamentis, incitauit.

Breui igitur Gabriel Latinam, Græcamq; linguam, Rhetoricam, Poeſim, Dialecticam,Philoſophiam vniuerſam, & legum ſcientiæ abditos fontes non delibauit modo, verum etiam ingenio, & induſtria plenius exhauſit. Percurrit quoq; nonnulla medicæ facultatis initia, de animantium natura, de arboribus, de plantis; quarum adeò diligens fuit inueſtigator, vt magnã in ea re ætatis partem conſumpſiſſe videretur; cum eorum nomina non ſolum ex tempore latinè, græcèq; referret, ſed vires etiam, & vtilitates ſingillatim recenſeret. Itaq; ex hac multiplici liberalium artium, & ſcientiarum cognitione, vberem illam, eruditamq;

eloquentiam comparauit, quæ poſtea grauioribus in rebus ſcripto, & oratione egregiè pertractandis in primis excelluit. In humanioribus litteris Romulum Amaſæum, virum ſui temporis Latinè, Græceq; doctiſſimum, præceptorem habuit. In iuris verò prudentia præter alios, Mariano Socino, & Auguſtino Beroo, ſummis illius ætatis Iuriſconſultis, operam dedit.

Doctoris inſignia conſecutus iuriſprudentiam publicè profitetur. Cap. III.

IAm verò quartum, & vigeſimum annum attigerat, cum ob inſignem Sacrarum Legum ſcientiam doctoris lauream aſſecutus, ſtatim iuris ciuilis in Bononienſi Athenæo publicè interpretandi munus ſibi delatum ſuſcepit, tam egregieq; ſuſtinuit, vt exquiſita quadam docendi ratione, ſiue in reconditis, atq; inuolutis legum ſenſibus explicandis, ſiue in dicendi facultate, & elegantia cum paucis conferendus, nemine certè eſſet inferior. Quam obrem quod Andreæ Alciati Iuris conſulti, ac gymnaſiarchæ per idem tempus celeberrimi præclaris docendi, dicendiq; veſtigijs inſiſteret, ab auditoribus, qui non, vt fit, ambitioſe conquiſiti, ſed ſponte frequentes ad eum confluebant, iunior Alciatus appellabatur. Inter alios verò eius auditores fuere Hippolytus Aldobrandinus Florentinus, & Scipio Lancellottus Romanus: qui ambo deinde Sacræ Rotæ Auditores, Cardinaleſq; creati, eximiæ ſapientiæ, & integritatis laude floruere, prior verò etiam dignus eſt habitus, qui in Beati Petri Cathedra feliciter ſederet, Clemens VIII. nuncupatus.

Inter

Digitized by Google

Inter hæc autem Gabriel præter ſuam expectationem Cathedralis Eccleſiæ Bononienſis lectus eſt Canonicus. Quod onus licet non exiguo laborum ponderi, quod in gymnaſio ſuſtinebat, adiectum, peculiarem cultus diuini curam exſpoſceret; vtrumq; tamen tàm ſtrenuè pertulit, vt non minus caſtiſſimi, & optimi Clerici diſciplinam, quàm doctoris diligentiſſimi munus pro dignitate præſtaret. Nam etſi plurimis, ac varijs erat implicitus curis tamen, vt quæ Deo, & hominibus debebat, recte perſolueret, horas de ſomno, deq; remiſſionis tempore magna ſubducebat induſtria: & quod publicis muneribus obeundis ſupererat otij, ad opera, quæ poſteris prodeſſe poſſent, cõſcribenda ſtudioſè conferebat. Nam præter alia, quæ per idem tempus eruditè commentabatur, librum cõpoſuit, ediditq; de Nothis & Spurijs, quem nemo non quouis præſtanti iuriſconſulto digniſſimum iudicauit.

Gabrielis Temperantia, & caſtimonia. *Cap. IIII.*

His igitur cum humanis, tum diuinis deditus ſtudijs, ab ineunte ætate, ad finem vſq; ab ijs ſe ſe voluptatibus perpetuo temperauit, quæ vel mentis, vel corporis integritatem labefactare quoquomodo poſſent nam & carnis illecebras, non minus aſſiduis laboribus, quam cibi, potuſq; moderatione coercere, & turbidos animi motus rationis fręno temperare, & vires tùm mentis, tùm corporis, ne nimijs lucubrationibus fractę ſuccumberent, honeſtis, opportunisq; remiſſionibus nouerat moderari, haud ignarus, ſapientiæ comitem, & quaſi nutricem eſſe temperantiã,

nec relinqui virtuti ſedem in regno terrenæ voluptatis; prudentiæq; fructus non colligi in hortulo deliciarum. Tenui cibo, ac ſimplici vtebatur, a cæna, qua breuiſſima vtebatur, vt plurimum vnica potione contentus abſcedebat. Nulla præterea vitiorũ contagia, nulla corruptorum venena morum, quæ illius continentiæ vel minimam labem aſperſerint, ei feruntur adhęſiſſe; ſed eorum omnium, qui in eius intima familiaritate verſati ſunt, conſtans fuit opinio perpetuo ſeruatę ab eo virginitatis. Qua de re cum poſt eius obitum ſermo inter ipſius familiares incidiſſet, præter alios Ioannes Cecchius, vir nobilis, Bononienſis, doctrina, fide, & medicæ artis experientia clarus, quo medico, & amico Gabriel vtebatur, aſſerebat, quantum medica ſcientia, quam per annos quadraginta, & amplius profitebatur, exploratum haberet, ſe nullam vnquam vel leuiſſimam violatæ ab eo caſtitatis notam comperire potuiſſe, atq; eius rei præter cetera feciſſe fidem meatus, quos appellant, ſeminales; quos, eo vita functo, diligenter inſpexit, diſſecto cadauere, vt ad ſepulturam curaretur, & calculorum viſceribus inhærentium cauſſæ, vnde mors illum celerius eripuit, explorarentur. Neq; verò id mirum in eo viro, qui a puero modeſtiſſimè vitam inſtituit, & immoderatis cupiditatibus minimè indulgere, ſed vbiq; ſibi temperare optimè didicerat. Quod etiam ingenuus ille pudor, generoſæ probitatis index, quem omnes non ſolum in teneris eius annis, vel extrema ſenectute, ſed etiam in vernantis iuuentutis flore admirabantur, præ ſe ferebat.

Pia

Piæ Gabrielis peregrinationes, & quos ſibi Comites, & amicos adſciſceret. Romam poſt contendit. *Cap. V.*

STudiorum porrò laboribus defatigatas vires poſt publicæ operæ intermiſſionem recreare ſolebat pijs peregrinationibus, quibus præſertim æſtiuis ferijs oblectabatur, ſeu ad Sacroſanctam Lauretanam ædem proficiſcens, ſeu ad alia inſignia Deiparæ Virginis in Italia Templa, ſiue Aſſiſium ad Sacrum Beati Franciſci corpus, ad Aluerniq; montis receſſum; vbi ſanctus ille ſtigmata diuinitus accepit; longiuſq; interdum progrediebatur, pia illectus Sanctorum memoria, vt eorum inuiſeret ſepulchra, ſacraſq; reliquias veneraretur in terris, quos patronos habebat in cælis. Itineris verò Comites ſibi adiungebat eos, quibus cum & moribus, & ſtudijs ſibi prorſus benè conueniret, quibus ipſe dux, & comes facundus erat in via pro vehiculo: cum illiſq; non leues iocos, ſed pios ſermones, non otioſa colloquia, ſed ſacras ad Deum preces, non tetricam grauitatem, ſed iucundam, ac liberalem comitatem honeſtis ſalibus opportunè conditam intermiſcere conſueuerat. Quo in genere vrbanę affabilitatis, & iucundæ conſuetudinis vſq; adeò valuit, vt eius dicta, ſenſu, ore, geſtuq; eſſent omnia tempeſtiua, apta, & temperata, & cùm alijs nominibus, tùm etiam ob id Comites eum in oculis ferrent, ac peramanter obſeruarent.

Ex ijs autem, quorum Bononiæ litterarij ſtudij cauſa per idem tempus commorantium cõſuetudine Gabriel vtebatur, præcipui fuere Guido Ferrerius, Mar-

cus

cus Antonius Bobba, Benedictus Lumellinus, Ioannes Baptiſta Caſtaneus, & virtutum,& nobilitatis merito inde lecti Cardinales, quorũ poſtremus Sixto V. in Pontificatu ſuffectus Vrbanus Septimus eſt appellatus. Quo in numero fuere quoq; Ioannes Baptiſta Rubeus, Paulus Æmilius Verallius, ambo poſtea Sacri Palatij cauſarum Auditores, hic verò etiam Archiepiſcopus Caputaquenſis: Vrbanus Vigerius, & Odoardus Gualandus, ille Sennogallienſium, hic Cenetenſium poſtmodum Epiſcopus; Franciſcus Burſatius, Mantuanus, iuriſconſultus egregius; viri omnes non minus doctrina, & virtute, quam generis nobilitate inſignes. Cum his,eorumq; ſimilibus conſtans, & magnarum virtutum nixa radicibus Gabrieli intercedebat neceſſitudo. Nam vt in cõciliandis amicis prudens, ita in ijs perpetuò conſeruandis(quod eſt omnino difficilius, atq; præſtantius) omniq; officiorum genere colendis in quauis rerum, ac vitæ varietate conſtantiſſimus fuit pariter, & diligentiſſimus, & qua erat natura, benignitate, morumq; Sanctimonia, non minus ſe ſe alijs amabilem,quam ad alios, præſertim bonos amore, & officio complectendos promptum, ſtabilemq; præbebat. Diem perdidiſſe ſe dicebat, velut alter Cæſar ille Titus, quo die nemini profuiſſet, illudq; frequenter querebatur, quod Epiſtolarum intermiſſione, officijſq; neglectis, quæ inter amicos viciſſim curari ſolent, velut ſenſibus amicitiæ interdum obſoleſcerent,Cumq;nonnulli veteres eius amici pluribus abſq; vlla Epiſtolarum conſuetudine annis iam elapſis, ad eum conueniſſent, illos peramanter accepit, ſuauiterq; redarguit. Non enim, inquit; tam de iungenda, quam de conſeruanda, colendaq; amici-

tia

tia nobis laborandum eſt; ſolebatq; domeſticis in colloquijs illud frequenter inferre; optare ſe vehementer, vt ab aliquo erudito viro ederetur liber, in quo de ratione colendæ amicitiæ, quod nemo adhuc ſatis eius iudicio cumulatè præſtitiſſet, diligentius, ac plenius ageretur.

Accedebat ad hæc omnia mira animi tranquillitas, & manſuetudo, vnde amicitiæ perpetuitas potiſſimum oritur, fouetur, & alitur (ijs enim adminiculis, quibus orta ſunt, cuncta diu conſeruantur.) Leni tamen, ac placabili iracundia quandoq; incitabatur; præſertim in ijs rebus, quæ iuſtitiæ decus, aut officij rationem violare viderentur. Rem dictu paruam breuitatis cauſa, vt id generis alia complura, ſilentio præterirem, niſi ad ſingularem hanc eius animi compoſitionem, vel in maioribus iudicandam viſa eſſet pertinere. Manuſcriptum librum oculis ſuis, vt aiebat ipſe, ſibi cariorem, cum in itinere famulus amiſiſſet; nec in eum animaduertit, nec acriter obiurgauit; ſed placido ſtatim ore illud Architæ Philoſophi dictum vſurpans, Chriſtianèq; ſupergreſſus; Iam te, inquit, miſſum facerem, niſi iratus eſſem. Aurea verè vox non tàm auribus, quàm mortalium cordibus imprimenda.

Domeſtici proinde negotij cauſa Romam profectus, abſente ab Vrbe Alexandro Farneſio Cardinali, præcipuo eius patrono, apud Hieronymum Cardinalem Verallium, veteris amici, de quo diximus, Archiepiſcopi Caputaquenſis fratrem diuertit, ab eoq; benignè, & honorificè fuit acceptus. Quo tempore Iulius Tertius Summus Pontifex è vita cedens, ſucceſſorem habuit Marcellum eo nomine ſecundum, cuius

ſumma

ſumma erat erga Palæotos animi propenſio, ſingularisque beneuolentia: id quod ipſe, antequam Pontifex crearetur, ampliſſimo verborum teſtimonio Gabrieli declarauerat. Sed Marcello paucis poſt diebus morte ſublato, contigit, vt qui honores cùm benignitate Pontificis, cùm hominum opinione Gabrieli deſpondebantur, eos ille dilatos quidem, ſed ab alijs Pontificibus vltrò delatos poſtea nanciſceretur.

Itaq; Paulo IV. in Marcelli locum inde ſubſtituto, & ſi apud optimum, & ſapientiſſimum Pontificem Palæotus ſe virtute gratia, & amicorum auctoritate plurimum valere, ac ſi quid honeſtè cuperet, impetrare facile poſſe videbatur; eius tamen animus tàm longè aberat ab Vrbanarum rerum faſtu, aulicoq; ambitu vt expeditis negotijs, quæ illum Romæ detinebant, nulla de re magis cogitaret, quam de reditu in patriam, atq; intermiſſo diutius, quam ipſe vellet, publicè docendi labore repetendo. Verùm Farneſius Cardinalis, Auenionenſis Legatus, è Gallia tunc reuerſus, magna veteris, veriq; amoris in eum ſignificatione ſuſceptum eius patrocinium tuebatur, & pro ſumma ſua in eum auctoritate iuſsit, vt publicè docendi munere penitus ſe ſe abdicans, quæ docuiſſet, vſu, & tractatione exequeretur. Nulla verò tũc alia dignior offerebatur condicio, quam vt eiuſdem Farneſij vices agens vniuerſæ Vaſionenſium ditioni, quod præcipuum erat Auenionenſis legationis membrum, Prolegatus præficeretur. At Gabriel abnuere, omniq; ope benificentiſſimi patroni animum auertere, vt a deſtinato onere liber euaderet; facere tamen non potuit, quin iubenti obtemperaret. Itaq; ſtatim in Galliam iter intendens, Bononiam peruenit, vbi paucos poſt dies Gentilem

ma-

matrem amiſit; eamque è viuis excedentem ſummis, & poſtremis pietatis officijs proſecutus, acerbiſsimam iacturam magno, ac planè Chriſtiano animo pertulit. Dolorem verò haud mediocrem inde perceptum leniebat in primis certa, ac pia fiducia de ſempiterna illius felicitate, ad quam, Deo miſerante, illam perueniſſe, eius vita honeſtè, ſanctèque peracta, parique fine concluſa, ſpem haud leuem ingerebat.

Vaſionenſem Legationem & Maioricenſem Epiſcopatum oblatum recuſat: Romanæ Rotæ Auditor conſtituitur. Cap. VI.

SEd ſiue matris obitu, ſiue alijs rebus negotium turbantibus, euenit, vt Gallicę illius profectionis, & adminiſtrationis onere bona cum Farneſij venia Gabriel pro voto leuaretur. Eodem tempore Ioannes Baptiſta Campegius, ſpectatæ probitatis Antiſtes, ob ætatem ingraueſcentem, infirmamq; valetudinem, paſtoralibus curis, & laboribus impar, abdicare ſe ſe Maioricenſi Epiſcopatu, eumque liberum Palæoto deferre conabatur. Sed id quoque oneris ſuſcipere conſtanter ipſe recuſauit: quamuis ne id detrectaret, Farneſij Cardinalis etiam vrgeret auctoritas. Cui tamen obſequi fortè oportuiſſet, niſi per idem tempus in locum Peregrini Fabij, Bononienſis Iuriſconſulti, qui Romæ tunc Apoſtolici Palatij cauſarum Auditor diem obierat, Bononienſi Senatu ſummis votis illum a Paulo IV. Pontifice depoſcente, ſubrogandus fuiſſet. Acceſſere ad Bononienſium Gabrieli in hoc munere ſuffragantium vota apud Summum Pontificem Mariani ſocini, quo Doctore, vt diximus, vſus

fuerat,& Silueſtri Aldobrandini inſignium eius ætatis iuris interpretum,officioſæ, & honorificę commendationes. Nam inter alia,quæ Socinus ad Pontificem de Gabriele honeſtiſsimè perſcripſit, hæc erant verba: *Sanctitas tua ſibi perſuadeat omnino, ſi quicquam eſt meum de vllo homine iudicium, exiſtimare me illam hunc gradum apud Palaotum nobilitate,litteris, moribuſq;inſignem optimè collocaturam.* Idem vero iudicium,idemq;apud Pontificem fuit Silueſtri teſtimonium, cuius filius Hippolytus, vt antè meminimus, tunc Bononiæ Gabrielis Auditor de Doctoris ſui prę ſtãtia,ad patrẽ per litteras referebat. Quare a Pontifice Paulo Gabriel in Vrbem accitus, ſummo collegarum conſenſu,& gratiſſima totius Romanę aulæ admurmuratione in duodecim virorum ſacrę Rotę Collegium cooptatur, anno Domini M. D. L V I. ætatis verò ſuæ trigeſimo quarto.

In hoc igitur ſupremo, ac non minus laborioſo, quàm præclaro, & amplo iuris adminiſtrandi magiſtratu Gabriel cõſtitutus, ſe velut in ampliſsimo quodam non Vrbis modo, ſed totius etiam orbis cauſarum theatro, in quo iudicũ fides,integritas, & ſciẽtia, cæteræq;animi dotes cunctis ſpectandæ proponuntur, ſe collocatum eſſe arbitrabatur. Iccirco nihil ei fuit antiquius, quàm vt eum ſe præberet, quem tanti muneris dignitas omnino poſtulabat; videlicet in perſcrutando iure diligentem; patientem,& benignum in audiendo; prudentem, & integrum in iudicijs; & in protegenda vbique iuſtitia rectum, atque cõſtantem. Non iudicia comperendinare: non lites extrahere; ſed promptè, iuſteque dirimere; non clientum munera, vel fauores ambire, quin oblatos reſpuere: non principum virorum gratia de iure quicquam remittere,

ſed

ſed omnia ad æquitatem,ad fidem,ad iuſtitię leges ex-pendere,ac definire: ſententiam deniq; ſuam inter collegas non minus liberè, quàm eruditè, & integrè pronuntiare. Quod verò ab officij ſui negotijs ſupererat temporis,id non tàm humanæ, quàm diuinæ gratiæ ſibi magis, ac magis conciliandæ & procul omni ambitione, libris dies,noćteſq; reuoluēdis impendere conſueuerat. Atq;ita fiebat,vt ſatis Deo primùm,cōſcientiæq;ſuæ,& clientibus faceret; deinde vt quæ ab eo ferebantur,ſententię omni iniuriæ, aut ſuſpicionis labe, id quod ex eiuſdem Deciſionum libro facilè apparet, prorſus carerent.In iudicijs porrò ſi quis inter partes locus ſibi videretur eſſe concordiæ,ſumma humanitate pariter, & æquitate in id potiſsimum incumbebat, vt relićtis litium anfraćtibus, ex æquo, & bono controuerſiæ componerentur. Ex quo fiebat, vt nemo in eo ordine frequentiorem clientum numerum haberet quàm Palæotus, cuius ſanè erat, vt in vnaquaq; re, priuſquam ſentētiam ferret,ponderanda,mira ſapientia; ita in litibus ex æquo terminandis, ac componendis gratia ſingularis. Profećtò ab eo in tàm ſublimi ſpecula poſito legalis diſciplina habebat multa dignitatis ornamenta; acquirebat ille viciſsim a legibus non vulgaria præſidia aućtoritatis, vt etiam ambigendum eſſet, an auguſtius quid ex eo in leges, an ex legibus in eum redundaret.

A Pio IV. Pontifice mittitur ad Concilium Tridentinum. Cap. VII.

HOc vitæ inſtitutum tenebat Gabriel, cum Paulo Pontifice vita funćto ſub finem anni MDLIX. in eius locum ſufficitur Pius IV. qui præter cetera,

quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem agitare nego-
tia cœpit, illud habuit ſanè maximum, atq; grauiſsi-
mum, vt inchoatum a ſuperioribus Pontificibus œcu-
menicum Concilium Tridentinum, ad finem vſq; per-
duceret. Itaq; Pius cum è Cardinalium Collegio ſele-
ctos excellentiſsimos viros ad idem Concilium lega-
tos decreuiſſet, ex duodecim ſacræ Rotæ Auditoribus
vnum Gabrielem delegit, qui Legatis Apoſtolicis aſ-
ſiſteret, cõſilioq; & opera tàm egregium opus adiuua-
ret. Norat enim hominem non ſolum doctrina præcel-
lentem, ſed etiã, quod tempus illud, & locus poſtulare
videbantur, anteactæ vitæ innocentia, morumque ſan-
ctitate conſpicuum, tantum munus egregie poſſe ſuſti-
nere. Anno igitur a Chriſto nato M D L X I. cum eo
in itinere Herculi Gonzagę Legationis Pręſidi, alijſ-
que Cardinalibus Collegis comitem ſe adiunxiſſet,
prębitis egregiarum virtutum argumentis, tantam
apud eos ſibi peperit beneuolentiam, ac exiſtimatio-
nem, vt pręclariſsimis certarent officijs de eo vnice
diligendo, veriſq; laudibus ornando. Hinc arcana om-
nia cum illo cœperunt communicare; nec quidquam
aggrediebantur in tanta negotiorum mole, niſi audito
prius Gabrielis conſilio. Quinnimmò cum in grauiſsi-
marum quęſtionum diſputatione inter Legatos non-
nulla interdum, vt fit, ſententiarum oriretur varietas,
re ad Palęoti arbitrium communi ſuffragio delata, quę
illius apud tãtos viros erat auctoritas, & virtutis opi-
nio, ſapiẽtiſsimis eius reſponſis plurimùm deferebant.

Verùm Gonzaga Tridenti legatione, vitaque per-
functo, Ioannes Moronus Cardinalis, cuius pruden-
tia, atque opera, Cælo benè opitulante, Concilium eſt
abſolutum, Legatus a Pontifice ſubrogatur. Huic verò
etiam

etiam Gabriel mirificè carus, & vtilis, tàm ſedulam nauauit operam, vt ab eo conſiliorum omnium non ſolùm particeps, ſed etiam rerum optimè geſtarum ſępè auctor haberetur.

Non ęſt dictu facile, quantum operæ, & laboris in his grauiſſimis rebus conſultandis,& agendis Palęotus ſuſtinuerit, & quàm multas inſomnes, atq; peruigiles noctes tranſegerit. Illius enim præter cetera partes erant, Concilij decreta digerere, litteriſq; mandare; Legatos, & Principum Oratores adire; eorum conſilia vltro, citroq; referre; ſi quid eſſet controuerſiæ, de iure reſpondere; Antiſtites ad eum confluentes, ſiue vt quererent quid agendum, ſine vt cum illo diſceptantes ſententiam eius explorarent,frequenter audire; eos ad Synodum conuoçare,eorumque opiniones pro conſtituendis decretis conſcribere, & alia huiuſmodi peragere, quibus mirum videbatur, ſi aliquod breuiſſimum temporis ſpatium ſibi, & commodis ſuis poſſet impartiri. Verumtanem in tot, tàmq; aſſiduis occupationibus horas ſumma cura ſibi ſurripiebat, quibus & publicis, & priuatis ſtudijs, aut veteribus colendis amicis, aut nouis conſiliandis omni officio operam daret. Inter alios verò ſummos viros, quos non tàm aurea eloquentiæ, quàm virtutis càtena, ſibi adiunxit amicos, fuit Ludouicus Becatellus Bononienſis, Archiepiſcopus Raguſinus, ſeù Epidaurenſis, vir omni ſcientiarum, ac virtutum genere præclarus, qui Gabrielẽ ſingulari complexus beneuolentia, eum potiſſimùm dignum iudicauit, cui Inſulam ſuam,ſummi Pontificis conſenſu, quod perficere ex animo contendit, renunciaret. At Gabriel, quippe qui Epiſcopalis procurationis onus grauiſſimum eſſe vel ex ijs,

quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quæ in Concilio tùm agebantur, optimè intelligeret; malletq; Cathedra dignus eſſe, quàm ſpecioſa fulgere dignitate, contra illum honeſtiſſimum gradum obfirmatum ſeruauit animum. Et licet aſſiduis precibus eum quàm vehementiſſimè vrgeret Becatellus, tamen perſolutis gratijs, perinde ſe illi gratum oſtendit, ac ſi oblatum beneficium accepiſſet.

Inter hæc ornamenta, quibus Palæotus & priuatim, & publicè cumulabatur, nullum faſtum, multam autem feſtiuitatem retinere viſus eſt. Nam quæ baſis aliarum virtutum appellari ſolet animi demiſſio, tantò fuit in eo admirabilior, quantò hæc videtur a ſciētiarum præſtantia, & ab honoris acceſſione remotior. Raro ſi quidem infra alios abijciunt ſe ſe, quos ſupra ceteros euehit vel rerum cognitio, vel hominum existimatio.

Abſoluto Concilio Tridentino, Romam reuerſus, varijs in rebus vtilem Eccleſiæ Romanæ operam nauat. Cap. VIII.

SAcroſancto demum Concilio feliciter abſoluto, vertente anno MDLXIII. Gabriel Romam remigrauit, vbi ſumma amicorum, & propinquorum lætitia fuit exceptus; ſed magnis, aſſiduiſq; laboribus, atq; vigilijs corpus ſic attenuauerat, talemq; maciem contraxerat, vt amici, ſi in via iſpum offendiſſent, eum ſe minime agnituros faterentur. At Pius Pontifex eum egregijs beneuolentiæ, & honoris officijs amplexus, cum nonnulla, atq; ea quidem grauia, quæ in Concilio acta fuerant, noua diſquiſitione, antequam in lucem ederentur, indigerent, Cardinales aliquot au-

ctо-

ctoritate, & ſapientia inſignes, qui omnia denuo maturè, accuratèque perpenderent, deſtinauit; iiſque tres egregios Iuriſconſultos adiunxit, Hugonem Boncompagnum, Epiſcopum Veſtanum, & Gabrielem qui Synodo interfuerāt, & Alciatum, quos paulo poſt in ampliſſimum Cardinalium ordinem cooptauit. Horumq; primus, vt oſtendemus, Pio V. in Pontificatu ſucceſſit, Gregorius XIII. nuncupatus. Delexit præterea Pontifex Leonardum Marinum Archiepiſcopum Lancianenſem, Ægidium Foſcherarium Mutinenſium Antiſtitem, memoratumq; Epiſcopum Veſtanum, & Gabrielem, quibus aliam grauem ſanè curam iniunxit, vt aduerſus Hæreticos de cęlibatu Sacerdotum, quædam ex Eccleſiæ Catholicæ doctrina, & ritu peritè declararent. Gabriel verò eo argumento opus eruditè conſcripſit, iuſſu Pontificis, cui illud obtulit, retento apud ſe, quod nunc etiam extat, exemplo.

His igitur, atq; alijs publicis muneribus, & ſtudijs Gabriel toto ferè anni MDLXIV. curriculo perfunctus eſt. Ceterum Pius Pōtifex cum ad eorum virtutem, qui vel habendo, perficiendoq; Concilio, vel alijs pro Eccleſia Dei rebus prçclarè gerendis inſudauerant, honore merito cohoneſtandam, tum ad alios ad bene de Sede Apoſtolica merendum excitandos, Cardinalium numerum augere decreuiſſet, in primis Moroni, qui ſynodo præfuerat, ſententiam rogauit: qui cum non exiguam partem rei in ipſa Synodo benè geſtæ Gabrieli tribueret, Pontificem ad eum purpureo galero decorandum, alioqui propenſum, acrius incitauit. Mox, vt fit, rumore de nouis Cardinalibus creandis per Vrbem increbreſcente, cum id Gabriel, quod ad ſe pertineret, potiſſimùm a Farneſio, Morono-

noq;

noq; Patribus reſciuiſſet, nihil tamen ille animo commoueri, inaniue lætitia efferri, ſed perinde ac ſi ſua nihil prorſus intereſſet, diem totum, qui promotionem anteceſſit, vnà cum Gulielmo Sirleto Protonotario Apoſtolico, viro doctiſſimo pariter, & optimo, mox etiam futuro Cardinali, quo cum ſumma illi erat familiaritas, in Sacræ Theologiæ ſtudijs tranquillè conſumpſit.

Cardinalis creatur, atq; vt ſe geſſerit in ea dignitate. Cap. IX.

EMicat annus quingenteſimus ſexageſimus quintus ſupra milleſimum, præclariſſima fulgens purpura, quam poſt multos annos in re catholica procuranda ſum̃am cum laude, ac perpetua ſui nominis gloria tranſactos, vniuerſo ſacro Patrum Collegio, ſed in primis Morono, Farneſio, & Carolo Borromęo, qui præter ceteros de illius virtutibus, ac meritis ſemper optimè ſenſerant, plena ſuffragantibus, Gabriel anno ætatis ſuæ XLIII. conſequitur titulo Sanctorũ Nerei, & Achillei. Mox omnes, id quod res erat, vno ore prędicare, eum non emendicatis Regum, aut Principum ſuffragijs, vel comendationibus, non aulicis artibus, aut humana ope, ſed tantùm egregijs virtutibus ſuis, & meritis, Deo bene iuuante, ad illum honoris gradum elatum merito fuiſſe. Subinde Sacerdotij inunctus oleo tantum abeſt, vt de Chriſtianæ humilitatis, modeſtiæq; ſtudio, aut de ceterarum virtutum, quibus eniteſcebat, exercitatione quicquam detraxerit, vt ijs potius maior inde in illo fieri videretur acceſſio. Nouerat enim, quò maiorem quiſq; nactus eſt digni-

tatis

tatis gradum, eò clariori, atq; illuſtriori virtutum exemplo ceteris prælucere, ac non modo alios, ſed ſeipſum etiam ſuperare quodammodo debere. Quare id honoris ei, a quo bona manant omnia, Deó optimo maximo per eius Vicarium pio, & grato animo referens acceptum, quàm maximas poſſet illi gratias agere, ſeq; illi miniſtrum quibuſcunq; rebus poſſet idoneum, & eius Eccleſiæ Sanctæ vtilem deinceps magis, ac magis exhibere ſtuduit. Quòd ſi antea pro facultate pauperes iuuare, publica, & priuata eorum inuiſere domicilia, languentium tùm corporis, tùm animi ſaluti conſulere, vlcera ipſa, & plagas inſpectare, miſeros tùm, verbis tùm pecunia ſubleuare, atq; alia charitatis munera cumulatè præſtare conſueuerat, in hac verò dignitatis acceſſione quamlibet arripiebat occaſionem, qua cunctis officijs pietatis incrementa daret, eaq; inſignibus Chriſtianæ humilitatis exemplis comularet.

Neq; verò interim vacabat a litterarum ſtudijs, aut a negotijs, quæ ad publicam, vel priuatam cuiuſq; ſalutem procurandam pertinerent. Sed omnibus omnia factus, qui ad eius opem implorandam confugerent, eos omni officiorum genere proſequebatur. Quocirca factum, vt in hoc vitæ genere, in quo amicorum, vel potius amicitiæ ſpecie ſe ipſos nimis amantium & clientum, & ceterorum hominum voluntates, & ſtudia aut refrigeſcere, aut ſecus immutari plerumq; ſolent, omnium erga ſe ſtudia conſeruarit. Ex Cardinalibus autẽ quamuis omnium eſſet obſeruantiſſimus, coluit in primis Moronum, Farneſium, ac Borromęum, viros ſapientiſſimos, ac de Chriſtiana Republicæ, deq; ipſo optimè meritos: Hyppolitum item Eſten-

ſem, Cardinalem Ferrarienſem, nobilitate, & virtute præſtantiſſimum. Præcipuè verò Gulielmi Sirleti collegæ ſecum lecti Cardinalis conſuetudine mirificè oblectabatur: cum eoq; vbi per otium liceret, vel integros dies traducebat. Erat enim ille vir eximia pietate, ac doctrina inſignis, linguarum etiam Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritiſſimus: tanta memoriæ felicitate præditus, vt de quauis liberali diſciplina ex tempore optimè diſſereret, libroſq; penè integros recitaret. Cęterum Gabriel veteres amicos tanti fecit, vt ex ijs plures apud ipſum, dum Cardinalis fuit, & honeſtè vixerint, & diem clauſerint extremum.

Sed in his beneficientiæ, ac pietatis officijs, atq; adeo in præcellenti illo vitæ gradu cum dignitate retinendo, vna rerum tenuitas Gabrieli magno impedimento eſſe videbatur: quo minus per liberalitatem, quæ potiſſimum in principe viro debet elucere, qualia ipſe cuperet, pauperibus, atq; egenis amicis præbere auxilia poſſet. Nihil enim vmquam ſibi repoſuerat; neq; ad ſuſcepti honoris dignitatem ſuſtinendam, aut proprię, aut fratrum mediocres diuitiæ ſuppetere poſſe videbantur. Quare ſummus Pontifex huius rei habita ratione, centenos illi aureos in ſingulos menſes numerari iuſſit; & Farneſius Cardinalis varijs, ac luculentis muneribus illum ornabat. Ab ea tamen victus, familiæ, ſupellectiliſq; modeſtia, quam ab initio cùm primum Eccleſiaſticam diſciplinam eſt amplexus, ſibi ſua ſponte præſcripſerat, etiam ditior factus numquam poſtea receſſit.

De

De Senatoria ipſius in dicenda ſententia libertate. *Cap.* X.

SEd quamuis a Pontifice amplos honores, magnaq; dignitatis honeſtè ſuſtinendæ ſubſidia nactus, ei ſe plurimũ debere profiteretur, ipſumq; ea, qua par erat, pietate, ac reuerentia coleret; tamen inde, ſiue priuatim, ſiue publicè in Senatu ſententiam diceret, nihil impediebatur, quin ſi quid ſecus quandoq; ſentiret, integrè, & liberè pronunciaret. Ac veluti alter Ambroſius cum eo facere, dicereq; ſolebat, nihil eſſe in ſacerdote tàm periculoſum apud Deum, tàm turpe apud homines, quàm, quod ſentiat, non liberè denuntiare. Dicta porrò crebris, pijſq; vt paſſim ſuo fere quidq; lonarrabimus, illuſtribus æquauit exemplis. Vix dum enim in ampliſſimum ordinem erat admiſſus, cum varijs a Turcis, & ab Hæreticis imminentibus bellorum periculis, ærarijſq; tùm alijs Eccleſiæ ſumptibus, tùm ſacro conficiendo concilio, vt ferebatur, exhauſtis; de exigendo a ſubiectis populis per vniuerſam ditionem Pontificiam in Italia magno pecuniarum numero, quē ad Carolum Gallorum Regem id efflagitātem, contra perduelles hæreticos in Gallia tumultuantes ſubſidio mitteret, Pius Pontifex cogitabat. Eaq; de re cum in Senatu, Cardinalium ſententiam rogaret, ijſq; omnes Pontificis conſilium approbantes, eiuſmodi tributum pro auctoritate imperandum eſſe cenſerent; vnus Gabriel, cui ex ordine poſtremo loco dicendum erat, præter omnium opinionem Pontifici, cunctiſque Patribus conſtanter obſiſtere non dubitauit; haud diſſimulandum eſſe ratus, vbi aliqua ex parte Reipubli-

cæ cauſam periclitari videret, quin ea libertate, qua probum Senatorem decet, conſilij ſui rationem explicaret. Hæc autem eius ſententiæ ſumma fuit. Non ignorare ſe quinetiam vehementer probare, colere, & venerari eximiam ſummi Paſtoris ſapientiam,& paternam charitatem, ſingulari de vniuerſo Chriſtiano grege ſollicitudini coniunctam, cauſam quidem ipſam per ſe loqui; huiuſq; auxilij mittendi neceſſitatem meridiana luce clariorem eſſe. id quoq; Chriſtianiſſimi Regis merita poſtulare. hoſtium Hæreticorum feritatem, niſi reprimatur, eſſe pertimeſcendam. At non rem ipſam, ſed rationem petendi ſubſidij ſibi perdifficilem, ac periculoſam videri. Principibus eò cautius deliberandum eſſe grauioribus in rebus, quò maioribus difficultatibus Reſpublica premeretur. populos amore potius, quam armis, aut arcibus in fide, & officio contineri, ac viribus augeri conſueſſe. Hinc videri, vt nouis vectigalibus, quæ beneuolentiam hanc vel omnino de medio tollere ſolent, vel imminuere, populos onerare non debeant Principes; ſed potius nouis beneficijs afficere, & paterna charitate complecti. Quòd ſi ad externos propulſandos hoſtes mittenda ſubſidia ſint, tum profecto maxima imminere pericula, ne redemptores, pignorum loco, pauperes omnibus bonis expolient, cum gentes, præſertim Apoſtolicæ ſedi ſubiectas pecunia exhauſtas eſſe, haud dubia teneret fama. Qui vero ſuam operam fideliter antea præſtitiſſent, vt ſolent, timendum eſſe, ne hoſtes propinqui, & domeſtici fierent; atq; ita in maius tota Reſpublica diſcrimen incideret. ſe in quæſtionem non vertere, an omnino pecunijs vacuum eſſet ærarium, licet aliud de eo eſſet populi iudicium, quod vt fiat di-

tiſſimum eorum eſſe, qui Reipublicæ præſunt, benè audiendo, animiſq; in amore, & officio continendis. Quocirca ærarij inopiæ præferendam eſſe, populorum ſalutem, ac beneuolentiam: neq; a miſeris hominibus ea per vim legis exigenda, quæ ipſi ſua ſponte, niſi premantur, eſſent exhibituri. Hæc omnia ſe dixiſſe, quod ea ſine nefario ſcelere pro dignitatis officio, & religione ſua prætermittere non poſſet. Silentibus omnibus, & obſtupeſcentibus, auditus eſt Gabriel; pleriſq; etiam Cardinalibus, qui a Pontifice ſteterant, ſummiſſa voce eius animi magnitudinem, & ſenatoriã in dicendo libertatẽ extollentibus. Pontifex verò non nullam indignationem præ ſe ferens, quod a ſua ſentẽtia vnus ille diſcreparet, eum palam imperitię breuiter incuſauit; ac re infecta, atq; in aliud tempus dilata, Senatum dimiſit. Nemo verò Gabrielis ea de re ſententiam tam acerbè tulit, quam Quæſtores ipſi: qui lucro inhiantes ſuo, Pontifici multa de negotio dixerant, quæ tamen veritati repugnabant; atque iccirco varijs artibus Pij excitatam iram vehementius accenderant. Antequam Senatus haberetur, veniam a Pontifice Gabriel impetrarat, pergendi pietatis cauſa ad Montem Caſſinatem, vt loci illius aſpectu, & pia ſanctiſſimi Patris Benedicti memoria animum aſſiduis laboribus afflictum aliquantulum recrearet. Pridie verò quam diſcedat: adſunt Quæſtores, & exaratum Pontificis diploma, quo vectigal ipſum imperabatur, Gabrieli primum offerunt ſubſcribendum. Quibus ipſe reſpondit: ſe, qui in Cardinalium numerum poſtremo loco adſcriptus eſſet, gradu ſuperiores prę uertere nequaquã debere; ſi prius alij ſubſcripſiſſent, ſe quoq; protinus idem præſtiturum, diſcedunt ſub alteram noctis ho-

ram reuertuntur: vrgent, vt ante profectionem ſubſignet. perſtat Gabriel in ſententia. aſſerit, cum ea ſit prima Pontificis conſtitutio, quam ſuo muniat chirographo, cauendum eſſe, ne vllam ſibi temeritatis notam inurat. intra paucos dies Romæ ſe affuturum: neque officio ſuo defuturum. Poſt diſceſſum Gabrielis, pertinaciam eius, vt appellabāt ipſi, Quæſtores Pontifici renunciant; affingunt plura, quibus Pontifex in Gabrielē ſic exarſit, vt iiſdem Quæſtoribus prohiberet, ne in poſterum ei de ærario quicquam perſoluerent. Paucis poſt diebus Romam Gabriel reuertitur, atque ſubſidij illius priuatione nihil commotus, conſtanter ſe grauiſſima quęque pericula pro Republica ſubiturum eſſe confirmat. Pontificem ſæpius adit; ſemel, iterūq; reijcitur; tandem admittitur; cauſamq; ſuam agit tam egregie, vt non ſolum eius gratiam, priſtinumque beneuolentiæ locum obtinuerit, ſed etiam Pontifex agnita Quęſtorum culpa, reiq; veritate optimè perſpecta, irrita fecerit quæcumq; de nouis vectigalibus iam conſtituerat.

Sacris in Comitijs Pium V. Pontificem creari procurat. Cap. XI.

NEque verò ita multo poſt, quinto Idus Decembris eiuſdem anni M D L X V. Pius IV. è viuis exceſſit. In eius autem ſucceſſore deligendo maximè Gabrielis cùm in Chriſtianam Rempublicam fides, & ſtudium, tùm integritas enituit. Cum enim probè intelligeret, in eiuſmodi negotio omnium longè grauiſſimo in quo agebatur de ſumma rerum, nihil præter Dei honorem, & gloriam, vniuerſæq; ſanctæ eius Ec-

clesiæ

cleſiæ vtilitatem ſpectari oportere;in id potiſſimum ritè,integreque pro viribus incumbendum ſibi eſſe exiſtimauit. In Comitijs igitur de more habitis rei magnitudinem, ac difficultatem expendens, enixè a Deo ſupplex efflagitabat, vt eum Pontificem Eccleſiæ ſuæ præficeret,qui eam non minus ſanctæ; quàm ſapienter regeret, & adminiſtraret: idque non ſuis ſolum, ſed aliorum quoque piorum precationibus a Deo implorandum curabat. In Alexandrum quidem Farneſium, aut Ioannem Moronum, Cardinales, auctoritate, rerum vſu,& ſapientia celeberrimos, eius animus initio propẽdebat: Sed ijs aliorum excluſis ſuffragio,ad Gulielmum Sirletum, aut Michaelem Giſlerium, cognomento Alexandrinum, Pauli Quarti Cardinalem, cogitationes, & ſtudia tranſtulit. Quod eorum vterque priſcam illam ſanctorum Patrum diſciplinam, ac ſanctimoniam cum ſingulari prudentia,doctrinaque coniunctam præ ſe ferre videretur. Sirleto ſuffragium vnum, aut alterum cum defuiſſet, in Alexandrinum denique conuerſi ſunt nonnullorum animi; præſertim Borromæi, quem, vt pote demortui Pontificis ex Soror nepotem plerique Ducem ſequebantur. Quo ſubuerente, ne ſuis rationibus, ſi legeretur, noceret Alexandrinus, ob ea, quæ auunculus Pius in Carafarum cauſa geſſerat, ſcrupulum omnem validis argumentis Palæotus exemit,Borromæique animum,alioqui optimè affectum,ita confirmauit, vt alios etiam in ſuam ille ſententiam pertrahere, & Alexandrinum eligere non vereretur. Non enim in gerenda re publica,eoque minus in hoc ſummo, atque omnium grauiſſimo negotio tàm priuatis, quàm publicis rationibus conſulendum arbitrabatur; probeque nouerat nulla ra-

tione

tione melius quemquã rem ſuam agere;quàm cũ in publicam ſalutem incumbit; ac plerumque fieri; vt qui nimis cupidè ſibi, alijs verò vtcumque, vel malè conſulere ſtudent, peius de ſe, quàm de alijs mereantur; Ceterum eos,quibus nullũ aliud eſt numẽ,quàm vtilitas propria, nulli rei minus, quàm priuato commodo ſtudere; nec minùs impotentes mentis, quàm olim Athenienſes,erectis ignoto Deo altaribus,ei vota appendere, thuraque offerre exiſtimabat. His igitur,atq; alijs eiuſmodi rationibus ducti optimi,ac ſapientiſſimi Patres Borromæus, Farneſius,Palæotus,atque alij plerique, communicatis inter ſe conſilijs, cunctiſque priuatis rebus poſthabitis, ceteros ad Alexandrinum deligendum diuini ſpiritus inſtinctu ſtatim impulerunt. Qui Pij Quinti ſumpto nomine, verè iuſtus, & ſanctus Pontifex renunciatur, ſeptimo Idus Ianuarij anno a Chriſto nato M. D. L X V I.Neque verò ſilentio prætereundum videtur,non defuiſſe in illis Comitijs Cardinales, qui Gabrielem Pio I V. ſufficiendum proponerent,ea namqne erat apud ampliſſimos Patres de illius integritate,atque religione conſtans opinio,& celebris fama virtutis ad tàm ſublimem dignitatis gradum ſupra ætatem eum prouocantis.

A Pio V. Bononienſis Epiſcopus legitur. Cap. X I I.

SPectatam hanc eius virtutem, ac merita præter ceteros Pius V. acerrimus ingeniorum, ac meritorũ ponderator, introſpiciens, eum ſua ſponte Pontificatus initio, ſummo totius ſacri Senatus conſenſu, dignum honeſtiſſimis verbis promulgauit, qui Rainutio

tio

tio Farneſio Cardinali Pauli III. Pontificis nepoti, vita functo, in Bononienſi Epiſcopatu ſuccederet: eumq; illius Eccleſiæ deſignauit Antiſtitem, ſub finem Ianuarij, vt qui in alios fuerat benignus, amplam de patria ſua benemerendi haberet facultatem.

At Gabriel ponderis grauitate deterritus, omnem, vt aiunt, lapidem mouere non deſijt, vt Pontifex alteri extero, & in epiſcopali vigilia magis verſato, illud imponeret. Cogitabat enim, ac cum Gregorio Nazianzeno dicere ſolebat; artem artium omnium difficillimam æque, ac periculoſiſſimam eſſe, hominem regere, animal maximè varium, ac multiplex: Epiſcopumq; eſſe debere, velut Angelum Dei; Candelabrum in Eccleſia Chriſti, ſcopulum eminentem, qui omnes errorum & perſecutionum fluctus excipiat, frangat, & a populo Dei propulſet: Deniq; ex Apoſtoli ſententia, irreprehenſibilem, & omnibus virtutum præſidijs inſtructum Animaduertebat præterea, vt ipſe aſſerebat interdum, multiplices eſſe vias, quas ingredi fideles poſſunt, & in Chriſtiana religione progredientes ſempiternam felicitatem adipiſci, nec eorum quemquam reperiri, cuiuſcunq; conditionis ille ſit, cui cæleſte regnum non pateat, dum pro ſe quiſq; proq; ratione vitæ, atq; inſtituti ſui viam rectam teneat, Chriſtianiſq; fungatur officijs. Hominem verò rationis radijs colluſtratum vires ſuas in primis metiri debere; atq; è multis vijs, quæ in tanta varietate ſe ſe offerunt, rimari, quæ ſibi ſit accommodatior, facilior, & tutior, eamq; Deo duce, ſine dubitatione libenter inire. Epiſcopalem autem vitam tot, tantiſq; circumſeptam eſſe difficultatibus, vt ſibi eam ingredienti, tamquàm exiguæ ſtaturæ homini, videretur arma gigantum indue-

re; quæ tùm in curſu, tùm in prælio impedimento eſſent: cum in ijs permulti decipiantur,ea attingere volentes,quæ ſunt ſupra vires. His tamen, & alijs eiuſmodi cogitationibus, ancipitiq; diſtractus conſilio,demum ceſſit voluntati Pontificis, cum præſertim æquum eſſe videretur, vt eos labores ad Dei gloriam ſuſcipere nequaquam recuſaret, quibus poſſet de patria ſua, ac de Eccleſia Dei benemereri. Epiſcopus igitur Bononiæ creatur anno ætatis ſuę quadrageſimo quarto, atq; a magno illo Carolo Borromęo, eximiæ ſantitatis viro,tunc Mediolani Archiepiſcopo,ſine vlla pompa Romæ conſecratur. Cumq; non ignoraret, quàm grauiter, & ſeriò Tridentino decreto ſancitum eſſet, vt Epiſcopi reſidendi legem ſeruarent, nulla interiecta mora, a Pontifice diſcedendi veniam impetrauit, & ad Eccleſiā ſuam ante ieiunij quadragenarij initium, eodem anno VI. Kal. Mart. peruenit. Quanta verò lætitia, quantoq; omnium ordinum plauſu,& acclamatione Bononiæ fuerit exceptus, facilius iudicari, quam verbis exprimi poteſt,cum optimo, ac ſibi cariſſimo ciue redeũte, eximijſq; honoribus aucto Bononia ſibi quæcunq; bona polliceri poſſe videretur.

Neq; verò ea ſpes fefellit Bononienſes ciues. nam aſſiduis ad Deum precibus, quotidianiſq; ſacrificijs veram Epiſcopalis vitæ formam in dies magis cognoſcere, & exequi procurabat. Quod vt facilius, & cumulatius aſſequeretur, optimis libris, quos Sancti Patres, Epiſcopiq; doctiſſimi reliquerunt, aſſiduè lectitãdis operam dabat, & perfectam boni Epiſcopi ideam animo comprehendere, paſtoralibuſq; actionibus repræſentare, & lapſam Chriſtianæ religionis diſciplinam, quoad eius fieri poſſet, quatenuſq; ferrent tempora,

pora, reſtituere diligenter inſtituit; atq; ad id perficiendum ſic animum adiecit, vt quoſuis labores, moleſtias, atq; pericula, quæ Epiſcopale comitantur officium, fortiter ſubire, ac diuino munitus auxilio ſtrenuè ſuſtinere non recuſaret.

Lapſos Eccleſiæ ſuæ mores reſtituit, ac Sacroſanctum Trident. Concilium Bononiæ in vſum primus inducit. Cap. XIII.

PEr idem namq; tempus cum in Bononienſem Ciuitatem, atq; dioeceſim, ſicut etiam in alios ferè populos, variæ morum corruptelæ paſſim irrepſiſſent, Chriſtiana diſciplina non mediocriter labefactata periclitabatur. (vt procliuis ad malum eſt humana conditio; ac niſi ſedula Sacerdotum, ac principum virorum fulciatur induſtria, pariter & exemplo, facilè prolabitur) Non deerant quidem plures cuiuſq; ſexus, & ordinis, quorum virtute, ac probitate res Chriſtiana tùm priuata, tùm publica nitebatur; manebatq; Bononienſium illa ſuapte natura facilis ad honeſtatem, ad pietatemq; propenſio. Vigebant quoq; non pauca piorum hominum inſtituta, ſacraq; ſodalitia, quibus auitæ probitatis, ac pietatis elucebant indicia. Sed, vt fit, in amplis Ciuitatibus, velut in magna ſegete ſuccreuerant etiam vitiorum tribuli, atq; zizania, quæ bonam ſementem, atq; vtiles virtutum fruges ſuffocabant; ac ne, quos debebant, pietatis fructus ferrēt, plurimum impediebant. In magna namq; Ciuium, aduenarumq; frequentia, plurimi erant ex omni genere vitijs commaculati. rerum ſalutarium procuratio ferè neglecta. Clericorum diſciplina, moreſq;

prolapſi. Eccleſiarum, ac diuinorum officiorum cultus neglienter habitus. matrimonia complura perperam contra leges inita. rarus admodum, & in pleriſq; tantùm annuus, in alijs verò nec annuus quidem Sacramentorum vſus. Feſtorum dierum cultus paſſim violatus; in ijſq; non tàm rebus cæleſtibus, quàm terrenis homines intenti. non ſacras conciones, non veterem catechiſmi conſuetudinem, non pietatis opera, ſed ludos, choreas, fabulas liberius haberi, & frequentari: Eccleſiaſtica iura, bonaq; vel ſupprimi, vel vſurpari. criminum, quæ ſacra poteſtate coercentur, magna licentia, deniq; tam diuini, quàm humani iuris præcepta negligi, impunèq; ferè violari. Hāc igitur morū laxitatem viuēdiq; licentiā sūmo ſtudio cohibendā, Chriſtianaq; diſciplinā pro munere ſibi cōmiſſo rèſtituendā ſibi eſſe Gabriel conſtanter exiſtimauit. In quo peritos medicos imitatus, non acria primùm, aut confusè coaceruata, ſed lenia, eaq; paulatim, mox acriora, & quæ magis opportuna, aut neceſſaria eſſe pro morbi acerbitate viderentur, adhibere remedia cœpit. Sperabat enim, ſi grauioribus, & inueteratis malis præſentem medicinam facere potuiſſet, in reliquis quoq; rebus faciliorem gregis ſui fore curationē. Quare cum & ſalutaribus edictis, & ſcriptis, & pijs cohortationibus, & priuatis, publiciſq; ſermonibus, in primis verò ſacris precibus, quotidianiſq; ſacrificijs, atq; præclaris paternæ charitatis, & ſanctimoniç exemplis lapſam rem Chriſtianam, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituere niteretur, in eaq; re nullis laboribus parceret, aut vigilijs, haud cōtemnendus quidem, Deo bene iuuante, ſanctorum laborum extitit fructus; ſed non ſine grauibus moleſtijs, ac difficultatibus,

tibus, quas Deo permittente, ad Præſulis ſui æternum gloriæ coronamentum, teterimus humanę ſalutis hoſtis dæmon excitauit. Hæc Gabriel dum ſtrenuè procurat, multorum, quibus, vt fit, tamquam ægris inſanientibus, medicinam, & medicum odiſſe mos eſt, initio ſubijt inuidiam, qui hanc morum emendationem tàm iniquo ferebant animo, vt per multos dies, veluti exul in patria, Epiſcopus verſaretur. Non paucis ſtomacho erat; alij ſeuerũ nimis & importunum, alij pluſquam par eſſet, Religioſum, ac rigidum vocitabant, eumque ad Epiſcopales functiones per Vrbem incedentem apertè vitabant, & auerſabantur. Et quem paulò ante ad Sedem ſuam venientem ſummis honoribus exceperant, eum nec ita multò poſt officio ſuo rectè fungi conantem, & Dei cultum, animarumque ſalutem, præterea nihil, procurantem, deſpiciunt, & fugiunt: hoc ſcilicet probis Epiſcopis diuino permiſſu ſolemne fere ſemper fuit, vt magna pompa, ſummis honoribus, & fauſtis acclamationibus in Eccleſiam ſuam cum Chriſto Ieroſolymam ingrediente, ſuſcipiantur: ſed paucis poſt diebus, dum eius exemplo peccatis bellum indicunt, omiumque ſuarum ſaluti conſulunt, varijs ærumnis, & iniurijs vexati cum ipſo miſerè crucientur. Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: nec ſeruus maior domino ſuo. Quotus enim quiſq; eſt bonus Epiſcopus, qui ſi rectè ſuo fungi velit officio, hęc non experiatur? Sed quemadmodum Chriſtus humanæ ſalutis aſſertor per crucem de hoſtibus triumphauit, atque ita ad immortalem gloriam peruenit; ita qui pro eius honore, animarumq; ſalute grauiſſima quæque certamina ſuſtinere non reformidant, eo adiuuante, ſuperant omnia, glorioſamque victoriam

riam tandem reportant. illi verò ſolum victi ſuccumbunt, qui aut veluti mercenarij, veniente lupo diffugiunt: aut ſegniter agendo, & hominibus indulgendo, iniquitati non reſiſtunt.

Gabriel ergò diuino fretus, ac munitus auxilio, in hac paſtorali paleſtra tam ſtrenuè ſe ſe geſſit, vt Deo bene iuuante, cuncta, ferendo, & agendo ſingulari fortitudine, & prudentia ſuperauit. Nam plurimi ſuam ægritudinem, quam antea ignorabāt, ſenſim agnoſcentes, fæliciſſimæque reſtituti incolumitati, quem antea peruipenderant, aut ægrè tulerant, eum dehinc impenſius diligere, & colere cœperunt. Atque hæc beneuolentia, & obſeruantia populi ergà præſulem ſuum ad bonam adminiſtrationem maximè neceſſaria, incredibili deinceps Gabrieli ad omnes Eccleſiæ ſuæ partes ritè conformandas adiumento fuit. Id quod ipſe tollendis corruptelis, moribuſque emendandis continentur experiebatur. Quæ res etiam magnam illi conciliauit auctoritatem, dum viderent omnes ipſum ea ſolum inire conſilia, actioneſque aggredi, quæ ad Dei cultum, communemque omnium ſalutem pertinerēt. Itaque plures morum corruptelæ aut penitus ſublátæ aut paulatim eradicari, ac diſciplina Chriſtiana, ſanctique mores refloreſcere cæperunt.

Ad hanc autem rerum ordinationem feliciter curandam, duo præter cetera plurimum ei contulerunt. Exactus videlicet Concilij Tridentini decretorum vſus, & incredibilis quædam animi conſtantia cum ſpectatæ vitæ exemplo, atq; pietatis ſtudio coniuncta. Cum enim prçlare intelligeret, ad ipſam rem catholicam reſtituendam nihil corruptis illis temporibus efficacius inueniri, aut opportunius, quàm ſi quæ Tri-

Tridentini Patres ſupremo ducti impulſu ſanxiſſent, diligenter in vſum, & mores inducerentur,id ſibi præcipuè ſummo præſtandum ſtudio exiſtimauit. Itaq;ipſius Concilij legibus ritè promulgatis, eas omninò, qua par erat prudentia,ſibi primùm,& domeſticis ſuis, tùm alijs ſeruandas propoſuit; omniaque illi ex voto ſucceſſerunt.

Domeſtica eius diſciplina. *Cap. XIV.*

CVm igitur alta quadam mente præditus proſpiceret, ad deprauatos hominum mores emendandos, & penitus ad omnem rem publicam ſiue Eccleſiaſticam,ſiue ciuilem benè ordinãdam principum virorum, præſertim ſacrorum Antiſtitum exempla longè amplius valere, quàm verba: in illud in primis Gabriel incubuit, vt, quod monet Apoſtolus,in omnibus ſe ipſum præberet exemplum bonorum operum, in doctrina ſana, in integritate, in manſuetudine,ceteriſque virtutum ornamentis, quibus gemmea Epiſcoporum Infula mirificè adornatur. Frugali menſa, modeſtoq; totius Domus apparatu contentus;in ijs nihil ab Epiſcopali vel dignitate vel moderatione alienum vnquàm admiſit: in ſuppellectili nihil ſericum, aut pretioſiore elaboratum artificio; ſed ea tantum parte Domus ſplendidè inſtructa, in quam Principes ad ſe diuertentes hoſpites recipiebat.Argentea,atque aurea vaſa, aliaque id generis nobiliora ornamenta, quæ citò numerabantur, ad diuinum tantummodò cultum adhibebat. Sericis veſtibus non vtebatur, niſi ijs, quas dignitatis perſona in publicis actionibus expoſceret. Quo veſtimentorum genere familiares quo-

que ſuos,qui clericatum aliqua ratione profitebantur, penitus interdixit. Faſtus,cõuiuia,ludi,& cetera Principum lenocinia longè aberant ab eius aula. Ceterum haud numeroſa, ſed quæ virtute numerum ſuppleret, erat ei familia. Nec eam facilè immutare conſueuerat, ſed habebat liberaliter, frequenterq; complectebatur. Homines vel vitæ modeſtia, vel litterarum cognitione commendatos inter alios ſeligebat, animi potius, quàm nobilitatis, vel formæ bonis delectatus. In ijs fuere, qui iam inde ab eius adoleſcentia ad extremam vſque ſenectã obſequium fideliter illi præſtiterant;qui demum veluti milites emeriti ſine labore, & affectatione ſenes quotidiano apud eum victu fruebantur.

Cumq; diligenter caueret,ne ſibi aptari poſſet illud Apoſtoli admonentis: *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Summam adhibuit curam, vt omnes honeſtam,piamq;traducerẽt vitam; ac domeſticæ diſciplinæ regulã præſcripſit, qua ſingulis in rebus veluti manu ducerentur. Vt otium,diſſenſiones,arrogantia, ceterǫque animi peſtes,quæ in quibuſdam Aulis debacchari ſolent, omninò propulſarentur,totis viribus curauit. Cælandi concilij ſtudia, orationis ambiguæ calliditates, aulicaſque ſimulationes in eis deteſtebatur. Nihil de aliena, ipſo audiente, detractum fama: culparum expiatio frequenter habita:ſacræ Synaxis vſus ſæpè adhibitus:colloquia de rebus diuinis ſæpius vſurpata. Ad animos autem recreandos muſicis concentibus ad pietatem excitandam accommodatis, quorum ferè omnes benè periti erant, oblectabantur. Amanirenſibus,licet plures eſſent, ad ea, quæ ipſe iubebat, vel excipienda, vel deſcribenda, otium vix dabatur. Omnia porrò per idoneum admi-

niſtrum, quem ſpetioſo titulo familiæ rectè moderandæ præfecerat, ſedulò præſtita. Itaque vt ex Epiſcopo familiam, ita ex familia Epiſcopum facile cuique erat agnoſcere, atq; hinc inde ad virtutem excitari. Non ſolùm autem rectam domeſticorum diſciplinam, ſed eorum omnium, qui Epiſcopatus res, ſeù reditus tractarent, ſibi præſertim commiſſam arbitrabatur.

Quales Vicarios, ac viros conſilij cauſa adhiberet. *Cap. XV.*

FErebat in oculis vniuerſam Paſtoralis ſollicitudinis procurationem; ac proinde nihil intentatum relinquebat, quod ad eandem rectè conformandam prodeſſe conſtaret. Quare Vicarij cum Epiſcoporum vicem teneant, idemque cum eis imperium ſortiantur, accuratos, prudentes, integros, eruditos, ſacræ diſciplinæ ſtudioſos, & laborum patientiſſimos ſummo deligere ſtudio conſueuerat. Ac tales quidem plures cum nactus eſſet, ac non contemnendo Eccleſiæ Bononienſis commodo in Eccleſiaſtica diſciplina exercuiſſet, ex ijs non pauci ab eo munere, quo Bononiæ fungebantur, tamquam ab optima ſacræ diſciplinę paleſtra, ad honeſtiſſimas Cathedras euehi meruerunt. In ijs fuere Angelus Perutius, Epiſcopus Sarſinatenſis; Nicolaus Horatius, Epiſcopus Cathacenſis; Nicolaus Turricella, Epiſcopus S. Angeli; Marcus Antonius Salomonius, Epiſcopus Soræ. Fuit etiam ex hoc feliciſſimo Viſariorum numero Sebaſtianus Medices, percelebris Iuriſcõſultus, qui multa ſacra ſcripſit, ediditq; commentaria. Et quamuis per ſe ipſi optimè

F

mè callerent ea, quæ ad Vicarij munus rectè, ac ritè ſuſtinendum pertinent, tamen Palæotus certis eos inſtruxit regulis, quibus difficilioribus in rebus, & cauſis facilius, ac melius explicandis, offenſionibuſque cauendis vterentur. Ad quas quidem ſeù tollendas, ſeù cauendas offenſiones Deo ſacra loca deſtinauit, quibus reorum mulctæ attributæ ſoluerentur. Eccleſiaſtici fori iamdiu intermiſſi conſtitutiones edici, in vſumque reuocari curauit, ne aliquam ſui muneris partem ceteri Eccleſiæ miniſtri, ac tabelliones omitterent, ſed Eccleſiaſtica iuriſditio integerrimè ſe ſe haberet.

Cum ea autem ſit humanæ mentis imbecillitas, vt vnũs non poſſit vniuerſa introſpicere, ad omnia maturè, ac prudenter cõſtituenda varias lectiſſimorum hominum Congregationes inſtituit, a quorũ conſilio pro conditione rerũ diligẽter explorato haud facilè diſcedebat. In ijs honoris cauſa nomino Ludouicũ Beiã Pelæſtrelũ Luſitanũ Auguſtiniani Ordinis, & Franciſcum Odoardum Hiſpanum Carthuſiani, inſignes, celebreſque Theologos, quos vel apud ſe permiſſu Summi Pontificis, vel in eorum Cœnobijs honorificè aluit. Hæc autem erant rerum eiuſmodi veluti capita, de quibus ſingulis, ſtatis diebus, erat conſultatio.

De cauſis, quæ ad ſanctum Inquiſitionis officium pertinerent.

De diuino cultu in Cathedrali Baſilica, Chorique diſciplina.

De Viſitationibus tũ Ciuitatis, tùm etiã dioeceſis.

De Virginibus, earumq; Cœnobijs.

De examinatoribus ad beneficia, ad confeſſiones, ad ordines, & ad alia.

De Catechumenis, & Neophytis.

De

De Clericorũ Seminario, ac de Schola Clericorũ.
De Hoſpitalibus pauperum, ſenum,& ægrotorum.
De Laicorum Sodalitijs.
De Caſibus,quos vocant,conſcientiæ conferendis.
De reformatione.
De Oeconomia Epiſcopali.

Hanc enim ipſe ſtatim inſtituit, vt ex ſacrorum Canonum decretis non ſine teſtimonio in re pecuniaria eſſet Epiſcopi adminiſtratio, neue res Eccleſiæ diſpergerentur, aut Sacerdotali dignitati aliqua nota inuri poſſet, vel obtrectatio ſuboriri. Dicebat enim, Epiſcopales reditus ſibi aſſignatos eſſe, tamquam officij rectè gerendi ſtipendia,vt id quam diligentiſſimè exequeretur,eaque eſſe patrimonia Eccleſiæ,bona pauperum,& peccatorum pretia,ſibi commiſſa,vt ſe ſe populis totũ præberet,eos audiret,ferret,doceret;ac etiam, ſi opus eſſet,in officio contineret.Impotens namque eſt apud multitudinem ſine viribus maieſtas.Præfecit huic Oeconomię quattuor Sacerdotes ex Canonicis,cleroque, fidei,ac prudentiæ laude probatos viros,& qua par erat,auctoritate munitos,quibus locum in Epiſcopio deſignauit, vbi dati,& accepti Ephemerides aſſeruabãtur.Huc Oeconomi,ratiocinatores,alijque huius muneris adminiſtri quotidie ſtatis horis conueniebãt, agebantque de ijs omnibus, quæ ad prædia,ad familiam, atque ad Epiſcopalis menſæ reditus pertenebãt. Hinc fiebat, vt Eccleſiæ maioris decor ex bonis huiuſmodi, atque reditibus potiſſimùm efflorefcens, magis, magiſque in dies augeretur, ceterique Eccleſiarum Rectores diſcerent,quanto ſint ſtudio Dei,pauperumque bona (citra tamen omnem auaritiam) tractanda.

De prima Ciuitatis, ac Dioeceſis Viſitatione, ac de Vicarijs foraneis conſtitutis. Cap. XVI.

His ita conſtitutis, & Epiſcopalis ædificij quaſi iactis fundamentis, ne quod in Præſule reprehendit multæ lenitatis Doctor Bernardus, tamquàm malus rerum æſtimator, magnam de minimis, paruam de maximis curam gerere coargueretur, ante omnia vultum pecoris ſui diligenter intueri, & quæ ad eius ſalutem procurandam magis pertinerent, ordinare aggreſſus eſt. A ſuperorũ inuocatione, ſine qua nihil felix, fauſtumque contingere poteſt, Viſitationis ſumens exordium, multas ad Deum preces haberi iuſſit. Ipſam primùm Ciuitatẽ, ædes ſacras, Sacramenta, Reliquias ſanctorum, Parochos, Sacerdotes, Clericos, ſacras Virgines, Xenodochia, Orphanorum cætus, pia Laicorum Sodalitia, ac reliqua pietatis titulo erecta loca, eorum adminiſtros, ac demum quæcumque alia ad Epiſcopi curationem ex ſacri Concilij Tridentini decretis ſpectantia diligenti perluſtrauit viſitatione, ſanctiſſimiſque legibus conſtabiliuit. Porrò Diœceſim vniuerſam eadem ipſemet ſollicitudine inuiſit, nihilq; incognitum, aut non emendatum, quatenus opus eſſet, reliquit. Cauebat diligenter, ne cuiquam incommodum afferret; & præter vnum, vel alterum diem, ſi diutius immorari contigiſſet, ſe, familiamque ſuam proprijs ſumptibus alebat. Omnibus debitorem cum ſe recordaretur, vbique egregium ſanctimoniæ veſtigium relinquebat. Hoc præclarum viſitandi inſtitutum quotannis poſteà tenuit, vt aliquam ſemper ciuitatis partem, aut Diœceſis inuiſeret, tantumque Chriſtianæ charitatis præberet exemplum, vt loca, & homines,

qui

qui inopia laborabant, eum maximum benefactorem experirentur; nemo verò vlla ex parte vel minimum grauaretur.

Præſcripſerat ipſe ſibi viſitationis regulam eiuſdem Concilij ſanctionibus omninò conſentaneam. In ea de comitatu, de itinere, de hoſpitio, & victus ratione, de aduentu ad Eccleſiam, locumq; inuiſendum, de ipſo viſitandi actu, de ijs, quæ ad diuinum cultum, ac pios mores in Bononienſi populo, ac Diœceſi vel reſtituendos, vel conſeruandos attinerent, accuratè, ac luculenter multa conſtituit. Quæ quidem omnia cum in Archiepiſcopali, de quo dicemus, libro vnà cum alijs eiuſmodi rebus copioſè, & diſtinctè collecta reperiantur, breuitatis cauſa ſingillatim recenſere prætermittimus.

Præter Generalem Vicarium in Vrbe conſtitutum, dum Diœceſim luſtrauit, per eam quoq; aliquot Vicarios inſtituit, eoſque vſitato nomine Foraneos appellauit. Ij cauſas ciuiles parui momēti iudicabant, teſtes, vt aiunt, in partibus examinabant; & Parochos, Rectoreſq; Eccleſiarum in quibuſdam negotijs facilius expedire poterant, ne qualibet de cauſa Bononiam petere magno ſuo, & Chriſti fidelium incommodo cogerentur. Ad eos quoq; pertinebat aduertere, num Tridentini Concilij decreta, ac ceteræ Epiſcopi ſanctiones ſtatis temporibus promulgarentur; num Parochi reſiderent, ac debita charitatis officia egenis, infirmiſq; præſtarent; num Clerici honeſtatem, aſſiduitatemq; in diuinis officijs ſeruarent. Feſtorum dierum cultum lædi non patiebantur: perquirebant diligenter, num vigeret frequens Sacramentorum vſus; num ante ſacram Euchariſtiam perpetuò lampas acceſſa nutriretur; num

Præſ-

Præſbyteri conuiuijs, & comineſſationibus, præcipuè in alicuius ſolemnitatis, vel officij celebratione, delectarentur.

Viſitatorem præterea generalem conſtituit peritũ, probumque Sacerdotem. Nam licet Vicarij Foranei viſitationis officio ſinguli ijs in locis, quæ ipſorum cuſtodiæ fuerant adſcripta, fungerentur, tamen generali Viſitatori & ipſi ſubijciebantur. In eam igitur curam maximoperè ille incumbebat, num memorati Vicarij ſuo ritè fungerẽtur munere; num alijs virtutum exempla præberent; num publicos denunciarent peccatores; an habitum, & coronam clericalem geſtarent; honeſtè viuerent, arma deferrent, nundinas frequentarent, ludis, & ſpectaculis ſe immiſcerent; an tandem Eccleſias, domoſque ſartas tectas per benè conſeruarẽt. Vbi verò aſperiori remedio opus eſſe iudicaſſent, Epiſcopum, qui partes ſuas in deprauatis moribus corrigendis numquam deſiderari patiebatur, participem efficiebant.

De prima Diœceſana Synodo, & de Scholis Chriſtianæ Doctrinæ. Cap. XVII.

INter cetera, præclara omnia, & ſumma, quæ ab Oecumenico Tridentino Concilio ad reſtituendam Eccleſiaſticæ diſciplinæ integritatem, morumque ſanctimoniam inducendam ſanctiſſimè conſtituta fuere, ſancitum illud quàm maximè ſalutare extat, vt quot annis, ſi fieri poſſit, Diœceſana Synodus conuocetur; ea nimirum mente, eoq; conſilio, vt ad ipſam conuenientes, quibus animarum cura eſt concredita, in conformanda, reſtituendaq; morum diſciplina a ſe ipſis

pri-

primùm exordiantur, tùm quidquid conſilij, & operæ poſſint,ad ouium morbos curandos,tuendamq; Eccleſiaſtici corporis incolumitatem afferant. Quam Gabriel potiſſimùm conſilij rationem ad Epiſcopatus faſtigium recenter euectus ſibi ineundam exiſtimauit. Quemadmodum autem virtutum omnium, atq; adeò actionum fundamentum fidem eſſe non ignorabat, ita ab huiuſmodi fundamento Synodum conſurgere par eſſe iudicauit.Fidem ergò profeſſi ſunt quicumque ad eam Synodum conuenerant. Multa de Sacramentis ritè adminiſtrãdis ordinauit. Plurima de Clericorum diſciplina, ac Rectorum ſollicitudine dixit, iuſſitq; De Chriſtiana doctrina vbique a Parochis edocenda, docendiq; ratione regulas ſaluberrimas præfiniuit. Inſtituit porrò Cõgregationes duas, ſeù ſodalitates,vnam virorum,mulierum alteram,modeſtiæ,ac pietatis laude præſtantium;quorum opera, & labore præceptis ad ſalutem conſequendam neceſſarijs pueri,puellæq; imbuerentur. Vtramque varijs Apoſtolicæ Indulgentiæ præmijs, ampliſq; decretis Pius V. & Gregorius XIII. Romani Pontifices auxerunt; Gabriel verò peculiaribus inſtitutionis documentis diligenter inſtruxit, ne fructus pietatis,qui indè colliguntur vberrimi,ſi ordine caruiſſent,aliqua ex parte minuerẽtur. Cum autem Bononia in quattuor ſit diuiſa regiones, in earum ſingulis quina templa puerorum Scholis,quinque puellis attribuit. Quadraginta igitur Scholæ erant, in quas diuidebantur pueri omnes, & puellæ, quæ decimum quartum annum non excederent.Atque vt rectè cuncta gererentur, quotannis ex toto Cõgregationis corpore Rector eligebatur, cui duodecim ſocij adſcribebantur, qui omnes vniuerſis præſiderent ſcholis. Sexcenti

centi erant,& amplius adminiſtri, qui edocendæ plebi operam ſedulò præſtabant ſuam. Cum verò Bononia litterarum cultoribus potiſſimùm adoleſcentibus affluat, qui eò publici Archigymnaſij cauſa ex omnibus ferè nationibus conueniunt, vt ijs potiſſimùm conſuleret, Palæotus curauit, vt Chriſtianæ doctrinæ libellus non ſolum materno conſcriptus ſermone ederetur in lucem,ſed etiam in latinum a Carolo Sigonio,inſignis eruditionis viro, eleganter verteretur. Tandem vt exemplo firmaret, quod verbis formauerat, Catechiſtæ munere ipſe fungi ſæpiſſimè viſus eſt.

Ceterum vbique operam dabat quàm diligentiſſimè, vt a ſacri Concilij Tridentini decretis actiones omnes,legeſque penderent. Itaq; Diœceſanam Synodum quotannis habuit, & cum vni finem eſſet impoſiturus, alteram indicere ſolebat. Verum ne Eccleſiæ Parochorum præſentia diutiùs carerent,Synodos vna tantùm die conficiebat, aut ad biduum, triduumuè ad ſummum,quod perrarò accidit,pro rerum difficultate prorogauit. Vt autem ab omnibus,& ſingulis,decretis in ijſdem Synodis, Deo duce, & auctore ſancitis, pareretur,quippe quæ ferè omnia è ſacris canonibus,Concilijs, Pontificum Conſtitutionibus, vel Cardinalium Congregationibus,veluti è fontibus hauſta eſſent,præter pœnas a iure conſtitutas, quaſdam ille adiciebat. Decreta tamen ſtabilia, ac perpetua,quæ Synodorum integram complecterentur materiam, numquam promulgare voluit; ratus ſatiùs eſſe labore, & induſtria, quàm ſcriptis legibus, ijſq; interdum neglectis, populi mores emendare,ac Reipublicæ conſulere. Propterea dicere conſueuerat; Paſtori id in primis curandum,vt gregem ſuum benè cognitum, atq; perſpectum habeat;

vt

vt quibus cibarijs, aut remedijs, aut adminiculis indigeat, diligẽter inueſtiget; Id verò niſi crebris tùm viſitationibus, tùm colloquijs, varijſq; congreſſibus, quibus audiũtur ſinguli, eorumq; ægritudines, ac difficultates ad iudicij trutinam reuocantur, perfici nõ poſſe. In hæc igitur ſatius incumbere, quàm plurimis condendis legibus inſiſtere, ac de illarum obſeruantia, aut de rebus emendandis, & benè prouehendis minus laborare.

Ad hæc autem perficienda magno illi adiumento erat accurata quædam, & vſitata pro veteri Eccleſiæ conſuetudine vnius cuiuſque morum, & actionum inueſtigatio, perſpicuaq; notitia, quam ſcrutinij, examiniſuè nomine in Synodo quotannis apud Clerum in vſum reuocauit. Hinc enim vnicuique Epiſcopo, & gregis ſui ſtatum, tanquàm in ſpeculo, vno aſpectu cognoſcendum repræſentari, & quibus auxilijs Clerus, ac populus indigeat, intelligi; & rebus aut reparandis, aut ſuſtinendis, aut omninò melius conformandis opportuniora ſubſidia comparari.

Diſquirit in eos, qui vel ad Ordines, vel ad beneficia promoueri petebant. Prædicationis, & correctionis munera exequitur. Cap. XVIII.

SEd eorum præcipuè mores, atque ſcientiam accuratiſſimè perſcrutabatur, qui ſacra capillorum tonſura inſigniri, ſeù ad Ordines promoueri poſtulabant. Non enim illum latebat, quàm grauiter hac de re tùm diuinis, tùm humanis legibus cautum eſſet, ne cuiquam citò manus imponerentur; ſed ſumma cura, ſingularique adhibita diligentia ij tãtùm, quos probi-

tas iuxta,ac doctrina ornabant,ad eiuſmodi gradus ritè proueherentur. Itaq; integros,eruditos,& prudentes conſtituit viros,qui eorum examini coram ſe habito præeſſent, adhibitiſque ſuffragijs admitterent, vel reiicerent, prout opus eſſet. Amabat inter cetera,præter ætatem, parentes, eorumq; conditionem, conſiderari etiam aſpectum, formam, valetudinem,ingenij ad res Eccleſiaſticas propenſionem,pietatem,ſacræ Confeſſionis, & Communionis frequentem vſum, amicorum,quibus vterentur, conſuetudines; an cantum Eccleſiaſticum benè noſſent; an qua par eſſet doctrina, & morum integritate præditi eſſent; exhibito in ſcriptis de his Parochi, & ſpiritalis vitę ludique magiſtri teſtimonio; num miniſterio humanis viribus impari ſe ipſos arroganter inferrent; an eo conſilio ad hanc vitæ rationem ſe conuerterent, vt quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, pararēt;aliquemne cupiditas honorum ad ſacros duceret Ordines.Eos tantùm prouehendos cenſebat, qui hoc ſibi propoſitum haberent,vt peculiari addicti Eccleſiæ ſanctitatem quærerent, & iuſtitiam, præterea nihil. Si qui vel ſacris initari, vel primùm Deo litare vellet,ſacras obire exercitationes iubebatur. Cui quidē muneri modò præfecti ſunt Patres è Congregatione mea in Metropolitana Bonon. Pœnitentiarij.

Neq; minori in diſpensādis ijs Sacerdotijs, quibus animarum cura ſubeſt,vſus eſt diligentia. Extra corruptelas gratiæ quodlibet beneficium collatum : fœdi ambitus ſpecies omninò relegata: epiſtolis, vel fauore anteuenire nil proderat. Cū ferè omnes cognitos haberet,quidlibet aliud meditātes alicui gregi,vel dignitati pręficiebat.Qui litteras cōmēdatitias a viris prin-

cipibus

cipibus ſtudioſe emendicarat, a rei cōſequutione omninò arcebatur. Munera accipiebat nulla, niſi fortè minima, quę beneuolentiā potiùs cōciliarent, quàm iuſtitiam oppugnarēt. Propoſito ſacrę litteraturę certamine, qui doctrinę ſpecimen nobilius dediſſent, ij pręfecturis ornabantur. Non enim beneficia hominibus, ſed homines beneficijs aſſignandos eſſe optimè ſciebat.

Nullum lapidem non mouebat Gabriel, vt gregem ſuum ad ſublimes perduceret virtutis colles. Cum autem intelligeret, diuini verbi prędicatione, & correctionis munere, quaſi quibuſdam alis, animum in ſublime efferri, ſtudium in ijs ſuum deſiderari nū eſt paſſus. Facilitas in dicendo, oris maieſtas, verborū, ſententiarumuè copia, opinio optima, pleraq; alia eiuſmodi ornamenta ad conciones plurimùm conferebant. Verbis non parcebat in Ciuitate, in Oppidulis corona ſæpè circumſeptus tàm copioſa, vt prę confertiſſima turba in Templum aditus nō pateret. Silebant tùm negotia; tacebat forenſium ſtrepitus, ſoluſque pœnitentium pectora paſſim tundentium gemitus audiebatur. Tanta autem dicendi vi quandoq; recitabat, vt ex oculis, ex vultu flāmas, ex pectore ignem ſpiraret, atq; in malo confirmatis quodammodò internecionem minitari videretur. Dicentem de vi amoris diuini, cuius incendium fouebat in pectore, vox, & latera aliquandò deficiebant. Ea autem erat omnium erga illum opinio, vt non tamquam hominem perorantem, ſed Angelum arcana Dei proferentem venerarentur. E' pagis ad eum, cum iter faceret, ſummi, medij, infimi confluebāt, rogabantque enixè, ne inanes dimitteret. Percurrebat huc illuc multo labore, & animorum rex delectus, arbitratu ſuo in omnem eos ferè partem dirigebat. Cum

propoſitam haberet auditorum ſalutem, non curioſas, non difficiles res explicabat, ſed planas, ac vulgares. Cum autem abſq;oratione rectè fungi hoc munere nemo queat,orandi ſtudium multo colebat opere. Huius alæ remigio humanum adeò ſuperabat obtutum,vt affirmarent pij, & in arte dicendi exercitati viri, numquàm ſic locutum fuiſſe hominem, eiuſq; linguam eſſe bonorum delicium, nocentium terrorem, ægrorum medicinam,& miſerorum gaudium. Satis populorum frequentiæ vt fieret, in recitandis homilijs Seminarij Clericos exercebat.Parochis præcepit,vt verba plebi facerent, vel ſaltem de libro aliquid legerent. Alios Concionatores tùm eloquentiæ, tùm pietatis ardore conſpicuos ſæpè euocauit, Domiq; ſuæ aluit.Porrò ſelecti è varijs Religionū cætibus viri ter ſingula hebdomada ad populum, qui frequens ad Eccleſiam maiorem confluebat,ſermones habebant; quinta verò quaque feria explicabant quorundam tractatus peccatorum,quæ apud imperitam multitudinem,vel apud deperditos homines vigere ſolent. Non dubitabat reprehendere eos, qui Eccleſias in ſcenas conuertentes, floſculos verborum, Poetarum fabulas, vanū deſcriptionum faſtum ſectabantur, non vt docerent,ſed vt eſſent in admiratione. *Quò huiuſmodi phaleræ*,aiebat,*cum ſanctimònia? Quò fabulæ cum veritate?* Præcipua verò beneuolentia eos cōplectebatur, qui omnes in eo defigebāt curas, ac cogitationes, vt auditorum corda mouerent, eorumq; animos ex Orci faucibus eriperent.

Errantes per ſpineta oues ad ouile, ad ſocias,ad paſtorem deducere cum maximoperè optaret, correctionis ſybilo vtebatur ſuauiſſimo. Diſcerptas,& peccatorum vulneribus affectas; Euangelici haud imme-

mor

mor documenti, ſæpè ſolus, interdum ſpectatæ probitatis teſtem adhibens, ad paſcua trahere conabatur. Prudentiæ regulas in tàm graui negotio obſeruandas ſibi præſcribebat, ne fortè exulceraret magis reprehenſio, quàm ſanaret. Leniebat animos, eoſque tàm iucundè faſcinabat, nemo vt non poſſet in bonam partem accipere obiurgationem. Præclara hac regiminis forma imbutus, niſi publico compelleretur ſcelere, omnem priùs mouebat rudentem, quàm ad pœnam accederet. Ceterùm, quando opus erat, oues fœtidas, ne totum coinquinarent gregem, ab Ouili fortiter ſegregabat. Cum autem omni vitio carere debeat, qui in alium paratus eſt dicere; & improbum ſit, quicquam in alio arguere, quo ſit ipſe inquinatus, ſe componere ſtudebat.

FINIS PRIMI LIBRI.

DE

DE VITA.
AC REBVS GESTIS
GABRIELIS
PALAEOTI
LIBER SECVNDVS.

Seminarium Bononiæ excitat. Cap. I.

MAximam Clericis educandis ſollicitudinẽ deberi, præter experientiam rerum magiſtram, ſanctiſſimi Concilij Tridentini Patres tradidere, dum Seminarium in quolibet Epiſcopatu excitandum eſſe, grauiſſimis ſanctionibus mandarunt. Quare Palæotus eiuſdem Concilij propugnator acerrimus, Contubernium ſatis amplum, attributa etiam de ſuo pecunia, excitauit. In partem laboris & ipſe vocatus catechiſmum a probis, eruditiſq; hominibus compoſitum, officij Romani ritè recitandi formulas, Theologiam ad mores ſpectantem frequenter explicabat. Domeſticas altercationes, ac repetitiones ſæpè ſuo fouebat aſpectu. Vnius Seminarij terminus auguſto eius animo nimis anguſtus erat. Pleraque & in Vrbe, & foris erigere optaſſet, ſi votis reſpondiſſent reditus. Sed cum illud vnum ſtabile ſit, & æternum, quod eſt cum pietate coniunctum, ad eam non tàm verbis inducebat, quàm exemplis. Officium

paruum

Digitized by Google

paruum Beatæ Mariæ Virginis cum Clericis recitare; diebus feſtis Matutinas horas è Breuiario cum iiſdem decantare;cæleſti cibo, elutis per confeſſionem peccatorum maculis,ſæpè eos reficere;pigros,additis veluti calcaribus, incitare; animoſos præmijs afficere frequenter viſus eſt. Ad triginta adoleſcentes excreuerant, cùm eos certis regulis, ac ſtatutis muniuit, tàm circa morum,& doctrinæ rationem,quàm circa viuendi,aut Eccleſiæ deſeruiendi formam. Quiete mentem noſtram ad labores excitari non ignarus, opportunas concedebat animi relaxationes. Cum autem plurimis Clericis,qui egregiæ indolis laude commendabantur, nullus patere poſſet in Seminarium aditus, Gymnaſium in Epiſcopalibus ædibus inſtituit, Præceptoreſq; ſuis ipſe ſumptibus aluit, qui Grammaticæ, ac muſicæ artis rudimenta vltrò eis traderent. Si qui vel ætate, vel dignitate, vel alia de cauſa nõ eſset cum alijs comparandus,ſpecioſo cum honoris titulo apud ſe detinebat, docebatque.

Ex nouellis germinibus incredibili Præſulis voluptate ſuccreuere fructus optimi;coloniæq; non contemnendæ deductæ ſunt ex eo contubernio ad populorum præſidium,ad cultum virtutis,& ad incrementa pietatis.Rem probauit euentus.Porrò Eccleſiæ,quæ ſe prius deplorabant viduas, vel in ſponſis maiorem deſiderabant eruditionis,& innocentiæ decorem,doctiſſimos poſt,integerrimoſque conſequutæ ſunt. Felices ſe inclamabant, qui in Palæoti Seminario ad Reipublicæ Chriſtianę vtilitatem adoleſcebant. Parentes nil intentatum relinquebant, vt filij inter conuictores adnumerarentur, ſcientes, ijs vnà cum rerum cognitione ſolidam virtutem paulatim inſtillari. Viget

adhuc,

adhuc, vigebitque ſemper, Deo volente, hoc illuſtre monumentum, in quo exornando fundatoris exemplo adducti ſucceſſores, loci illius præfecturam ſibi commendatam eſſe, pluſquàm verbis ſignificauere. Non eſt ſilentio prętereunda grati animi recordatio plurium huius loci alumnorum, qui enarrare ſolebant, quàm diligenter, quàm amanter Conuictores omnes & doceret, & complecteretur Gabriel. Nullus ferè, vt accidit pueris gratiam totam rei vnius negatione corrumpentibus, viſus eſt aliquandò aduerſus eum aliquid habere.

Varijs inſtitutis Orationum generibus, multis erectis ſodalitatibus, Cleri diſciplina reſtituta, ſuum Deo cultum deferri procurat. Cap. II.

CVm multæ apud populum Bononienſem diuini cultus irrepſiſſent corruptelæ, in primiſque feſtorum obſeruatio dierum negligeretur, id Palæotus egerrimè ferens, varia edicta, eaq; minarum pleniſſima euulgauit. Hinc factum eſt (turbatis tamen vehementer nonnullorum animis) vt ſtatis ab Eccleſia diebus commeſſationes, ebrietates, choreæ, publica ſpectacula, ludi equeſtres, profanæ negotiationes, atque ſtrepitus iudiciales omitterentur. Crebris vſurpabat ſermonibus, reddenda eſſe, *Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, quæ ſunt Dei, Deo*; & cæleſtium beneficiorum penſum veluti quoddam omni iure a nobis, ſupernis tantùm vacantibus rebus, eſſe ſoluendum. Frequens vt populus ad orandum conueniret, plurimas Eccleſias ad publicam orationem habendam, quaſi per circulum deſignauerat; ac ſacram Euchariſtiam ad quadraginta horarum

ſpatium

ſpatium exponi iuſſerat. Profectò quotieſcumque in Baſilica S.Petri indicta eſſet huiuſmodi oratio, vniuerſus vrbis Clerus, ſodalitates omnes, cunctus præterea populus in claſſes partitus ſub Parochi cruce, ſolemni ſupplicatione, ac conſueto pſalmorum, & precum cantu, cõſtitutis horis conuenire debebant. Sodalitia ſanctiſſimo Domini noſtri corpori dicata, impetratis Indulgentiarum cumulatiſſimis donis, præſcriptiſque regulis, non modò in Eccleſia ſua, ſed in ſingulis ferè Oppidis, ac pagis, in quibus res commodè fieri poſſet, inſtituit: in eam rem diligentiam conferens maximam, vt ea religione aſſeruaretur, & coleretur, quæ totius congruit ſanctimoniæ coronamento. Præceperat, vt vnoquoque menſe exponeretur, reponereturque ſacra Hoſtia a Parochis cum proceſſione ſaltem intra parietes Eccleſiæ, adhibitis orationibus, & intortitijs accẽſis. Diligenti cura examinanda mandarat paruula quæq; cæremoniarum momenta in priuata, ſolemniq; miſſarum celebratione; ratus, in ſacris Deo faciendis æquum eſſe, vt omnis noſtra deſudaret induſtria. Verum ne paſcendi gregis pretioſo potiſſimùm corpore, & ſanguine Chriſti partes ſuæ vllo vnquàm tempore deſiderarentur, aures a matutinis horis ad miſſam vſq; pœnitentibus mira patientia præbebat, ac vulgata generali Communione, ſacram Synaxim ad multas horas ſuis ipſe manibus diſtribuebat.

Pleraſque alias Confratrum ſocietates erexit, non ignarus, ex ijs, ſi intra ſtatutas ſibi regulas ſe velint continere, quamplurima, eaque ingentia bona promanare. Namque orationibus, vigilijs, & diſciplinis operam nauant, frequenti Sacramentorum ſuſceptione proprios, alienoſque mores corrigunt, multos ſuo

H exem-

exemplo ad proſequenda Chriſti veſtigia ſuauiter impellunt. Adoleſcentibus quoque Bononiæ ſtudiorum cauſa commorantibus, ne a recta viuendi ratione deflecterent, ſodalitatem Perſeuerantiæ aperuit, in qua, quibuſdam indictis legibus, non modò Sacramentorũ vſus vigebat, ſed ſeuerioris diſciplinæ monumenta quamplurima conſpiciebantur. Vidiſſes inuictos iuuenes non cum exteris hoſtibus, ſed ſecum generosè pugnantes in priuata Domo publicum aperuiſſe militiæ campum, vbi eò glorioſiùs triumphabant, quò laborioſiùs vincebant; carnem domabant, vt ſpiritus dominaretur; corpus opprimebant, vt animus emineret; numquam quieſcebant, vt Perſeuerantiæ palmam obtinerent.

Diuinorum cultum officiorum, quem inuenit non mediocriter diminutum, ſtuduit pro viribus reſtituere, præcipuè in Templo maximo, vt ceteræ Eccleſiæ ad eius exemplum componerentur. Pro voto res vt caderet, ad matutinas ipſe vigilias, ſolem præueniens, primus in Odęum pergebat. Neq; veſperarum pſalmodiam diebus feſtis prætermittebat, haud immemor, ſublata, vel labefactata huiuſmodi Angelorum exercitatione, virtutes penè omnes langueſcere. Breui factũ eſt, vt attentè, feruenter, deuotè ab omnibus haberetur. Nitorem rerum Eccleſiaſticarum, ſine quo ſuum Deo cultum vix tribui poſſe arbitrabatur, in vrbis Eccleſijs, & in tota Diœceſi procurauit. Inambulationes, eſculentorum venditionem, & colloquia praua, tamquàm res pernicioſas, a ſacris locis interdixit. Non eſt huius loci exequi acceſſiones, quæ Cleri, populiue diſciplinæ, diuino cultui, Eccleſiarumque ornamento in dies fiebant. Quanta ſe ſe offerret copia ad exultatio-

nem

nem liberam narrationis meę: ſi percenſere vellem; quæ ſacris agebat quadragenarij ieiunij temporibus. Concionibus, Sacramentis, precibus, laborum tolerantia, legibus abſtinentiæ, pecuniarum largitione, & ceteris veri Pontificis documentis rem Chriſtianam mirum in modum promouebat.

Sanctimonialium cœtibus inuigilat. Cap. *III.*

INter maximas Pontificatus curas, eam in primis adnumerabat, vt ſanctimoniales, veluti virginei flores in amęniſſimo laudum eximiarũ hortulo ſummam equidem proferrent virtutum pulchritudinem, admirandęq; ſpargerent ordorem ſanctimoniæ. Cum igitur laxam, ne dicam lapſam earum diſciplinam Bononiæ inueniſſet, ad formam Concilij Tridentini fortiter eam reſtituere decreuit. Confeſſarios eis tradidit & morum integritate, & prudentiæ laude, & ætatis auctoritate apud omnes probatos. Omnes collocutiones cum extraneis, niſi fortè aliquid conſanguineis concedendum videretur, & anathematis pœna interdixit. Frequentem confeſſionis, & Euchariſtiæ vſum iuxta memorati Concilij grauiſſimum decretum eas colere iuſſit. Grauiores iuxta, ac natu grandiores ad regularem diſciplinam moderandam præficiebat. Ianitrices, & Auſcultatrices ſpectatæ vitæ, ac morum probitate inſignes deligebantur, quæ epiſtolas quaſcumque, munera, alloquendi facultates Abbatiſſæ fideliter conſignarent. Vnicuique Cœnobio pro cuiuſque inſtituti ratione ſanctiſſimas leges cõſtituit quoad morum diſciplinam, Sacramentorũ frequentationem, habitus modeſtiam, præcipuè verò quoad ditiſſimæ

H 2 pau-

Digitized by Google

paupertatis obſeruantiam. Nulli licebat penes ſe ſinę ſuperioris facultate dona, vel alio titulo acquiſita detinere:non quicquam alicui tribuere, præter quædam eſculenta, vel ad deuotionem ſpectantia;non lectulum ſerico adornare conopęo; non aulæa picta præ foribus exhibere;non pretioſas imagines in cubiculo exponere; non libros vanos apud ſe habere. Omnia leuitatis indicia a ſe remouere, omnem in veſtitu affectationem reſpuere,omnem capillorum cultum deuitare tenebantur. Cum verò apud quaſdam huiuſmodi obſeruantiæ vigor multum pateretur detrimenti, ceteraq; gynecæa prauæ libertatis deſumerent exempla,obduratos Gabriel in laxiori vita animos, priuatis primùm, publicis deinde ſermonibus adoritur; vitæ religioſæ bona, religionis ſplendorem, boni nominis odorem, vrbis totius ædificationem, ſi mores, vitęque rationem mutēt; tùm etiam conſcientię plagas, diuinarumque vindictas irarum animo contemplandas proponit, ſi obedientię iugum detrectent. Tandem omnes admouens diuinę eloquentię arietes, obſtinatas illas Virginum mentes concutit,proſternit,& eò adducit,vt veluti lucidiſſimę Bononienſis Eccleſię ſtellę ceteris Cœnobijs ad exemplum prelucerent.

Iubilaum celebrat, multaq; praſtat Paſtore digna.
Cap. IV.

HÆc cum agerentur,exceſſit è viuis Pius Quintus, cuius interitus Vrbi, & Orbi acerbiſſimus fuit, gratiſſimus verò Turcis, quorū audaciam, inito Chriſtianos inter Principes ſacro fœdere, compreſſerat. Ad ſacra Vaticani Comitia iuit Gabriel, in quibus nouus Pontifex renunciatus eſt Gregorius Decimus

Ter-

Tertius, qui Hugo Boncompagnus vocabatur, vir dilatãdæ Religionis deſiderio mirificè accenſus. Eccleſiæ Bononienſis, tamquàm ſponſæ amore pertractus, poſt aliquot dies in locis pijs viſendis, ijſq; debita veneratione proſequendis inſumptos, ad Epiſcopatum reuerſus ſeduli Præſulis munere perfũctus eſt. Interim annus incidit Iubilęi celebritate ſanctus, cuius memoriam Bononienſes, datis multis pœnitentiæ, & ſanctimoniæ argumentis, immortalitati conſecrarunt. Cum enim Palæotus, litteris etiam impreſſis, ad Romanam profectionem omnes hortatus eſſet, quamplurimi tùm ſummi, tùm infimi, pro ea, qua erant pietate, pulcherrima, longiſſimaque inſtituta ſupplicatione, cuius ordinem, incedendi modum, veſtitus rationem, ſacrarũ precationum tempus ille diſtinctè præſcripſerat, Romam profecti ſunt. Cum autem ſequenti anno, nempe M D L X X V I. idem Iubilęum Gregorius conceſſiſſet ijs, qui varijs impliciti curis Romanum iter ſuſcipere non potuiſſent, nihil prætermiſſum eſt, quod ad eum theſaurum acquirendum pertinere videretur. Longum eſſet percenſere omnia, & ſingula, quæ Epiſcopo duce, & auctore præſtita ſunt. Miſerorum calamitates copioſis fuere ſubleuatæ eleemoſynis; Xenodochijs multa comparata præſidia; ære alieno obtrictis non exiguæ condonatæ pecuniæ; aperta Religioſis horrea; expoſitæ vtriuſque munificentiæ valuæ; Ciuitas ſuis penè diuulſa ſedibus per quattuor Eccleſias diſperſa; confeſſionis tribunalia obſeſſa, & ſacræ aræ innumeris circumdatę conuiuis. Loquitur ingens lapis, qui præ foribus Baſilicæ Diui Petri ad perennem, æternamque memoriam publico poſitus eſt decreto, clariſſimis hiſce verbis:

ANNO

Digitized by Google

ANNO SALVTIS MDLXXVI.

Iubilæo a Gregorio XIII. Pont. Max. ciue Bonon. per Gabrielem Card. Palæotum Epiſcopum, & ciuem Bononienſem indicto, Ciuitas Bononiæ repente in ſtudium religionis, pietatiſque conuerſa, obſecratione per vrbem ab omnibus ſacris, & profanis ordinibus ipſo præſcribente, ac præſente cum Magiſtratibus Epiſcopo habita: ſubinde viritim, vicatim, collegiatim, & pagatim inſtructa, ſub proprijs vexillis ſupplicatum hoc ordine per quinque menſes ad quattuor templa ab ipſo Epiſcopo conſtituta, memorabili in poſterum Chriſtianæ ſanctitatis exemplo proceſſit.

Cum autem intellexiſſet, inter nonnullos ciues, ac patritios ſæuas enutriri ſeditiones, fœdiſſimaq; audiri homicidia, illud Iubilęi tempus, quo ferè omnes meliorem, vt aiunt, frugem ſupremo Numini pollicebantur, ijs ſedandis peropportunum exiſtimauit. Diuina igitur fultus gratia, ſingularique ductus prudentia nihil non tentauit, vt eos priuatim, & publicè admoneret, rogaret, deterreret. Affixis edictis arma extra Eccleſiam relinqui mandauit, denunciauit eis offenſam Dei grauiſſimam, iraſque cæleſtes huiuſmodi flagitijs vehementer prouocari. Subiecit oculis morbos, damna, rei familiaris iacturam, liberorum orbitatem, & caſus inopinatos, quibus Deus homicidij ſcelus ſolitus eſt vindicare. Demiſſa pauliſper Pontificis auctoritate eos exorabat, vt iniurias Dei cauſa condonarent, arma deponerent, & pacato viuerent animo. Id tandem, Cęlo opitulante, eſt aſſequutus, vt ſublatis odijs, ad maximam animi tranquillitatem laberentur, iunctiſque dextris, datiſque pacis oſculis fœdus in omne tempus ini-

inirent. Longa etiam annorum ſerie apud quædam Diœceſis Oppidula inualuerat cōſuetudo, vt mortuos ad tumulum horridis vocibus conſanguinei comitarentur. Puerorum eiulatibus; mulierum lamentis, propinquorum gemitibus, amicorum clamoribus priuata, publicaq; omnia circum ſonabant. Confundebatur cum ijs pius Sacerdotum cantus; ingēſq; rerum, & animorum fiebat perturbatio. Vocibus turpes addebantur crudelitates. Mulieres namq; diſſipabant capillos, ac diſcerpebant; homines verò pilos è barba extrahentes, faciem ſibi vnguibus dilacerabant, relictis vulneribus, & ſanguine vndique fluente. Abuſus alter ſerpebat, multarum radix diſcordiarum. Solebant parentes deſpondere amicis in matrimonium partus adhuc in vtero materno deliteſcentes, è quibus plures in lucem educti, adq; adulti recuſabant, multis concitatis rixis, parentum ſtare promiſſis. Has corruptelas, & multas alias Dęmonis artes omni diligentia de medio tollere, & ad inferorum ſedes amandare vir Dei curauit.

Quid egerit temporibus, quibus vel annona caritas ingraueſcebat, vel Epidemiæ lues graſſabatur. Cap. V.

AT dum omnes conſeruandi gregis ſui vias experitur optimus Paſtor, annonæ caritas in multa fructuum penuria adeò ingraueſcebat, vt quilibet premeretur, pauperes verò ferè opprimerētur. Trium tùm menſium deuoluebatur curriculum, ex quo nulla è Cælo aqua irrigatus erat Bononienſis ager. Verebantur omnes, ne ſiccitatem conſequeretur exiguus frugum prouentus, atque eam non modò frumenti,

ſed

ſed etiam vini comitaretur penuria. Conſilium ineunt confugiendi ad diuinam opem, rogandiq; Epiſcopum, vt pro patria in tanto diſcrimine poſita, Cæleſtes deprecaretur, cæleſtiumq; Regem, ac Reginam impensè inuocare nō deſiſteret. Oratores comiter accipiuntur, & amicis ſubleuantur verbis. Alta interim mente repoſitum habens ille diuinæ gloriæ dilatandæ propoſitum, ciuium vota, imminentiaq; incommoda Deo enixè commendat. Quantùm apud eum valeant publicæ orationes, cum probè teneret, ſolemnem ſupplicationem, in qua affuit Clerus cum vniuerſis magiſtratus ordinibus, inſtituit, concionatuſque eſt magno animi ardore, audienteſque adduxit, vt de ſalutis ſemita ſolidas ſuſciperent cogitationes. Mox peroratum eſt non ſine lacrymis. Mirum viſu! iucundum auditu! Ad fuſas vix preces imbres quoq; fuſi ſunt: tàm patentem apud Deum habet aditum pia multorum conſentiens precatio. Cælum namq; quod ſereno fulgebat aſpectu, tenebris obduci viſum eſt, tonituaq; edere. Ruit magnus imber, vndiq; inundantibus vicis, & compitis, ac cunctis ad tecta concurrentibus. Rei nouitas incredibilem attulit voluptatem ijs, qui anni præterriti calamitatibus preſſi, nouas expectabant. Quare pluuiæ abundantia non tam fouit terram ad fœcunditatem, vt ei commiſſa, vel committenda ſemina ad maturitatem peruenirent, quàm incolarum pietatem, vt Deum laudarent, melioreſque vitæ rationes inſtituerent. Cum autem multò poſt aſſiduæ, ac vehemētes pluuiæ maximam omnibus curam inieciſſent, ne, vt ſæpè contigerat, ſegetes iam matureſcentes extinguerent, multis fruſtra imploratis auxilijs, Palæotus vnà cum Magiſtratibus decreuit, vt imago Deiparæ Virginis, quæ

apud

apud Vicum ſancti Petri Bononiæ colitur,per Vrbem deferretur,atq; illa religioſè in pompa perlata, ſupplicatio de more adhibitis ſacris,ac prophanis ordinibus ageretur. Quo facto lux ſtatim optatę ſerenitatis affulſit non tàm Cælo, quàm Bononienſium animis.

Ceterum Palæotus beatius putans dare,quàm accipere,horreum ſuum aperuit,triticū diſpēſauit,& quidquid opis , ſubſidiſue deſiderare pauperies in ea annonæ caritate viſa eſt,libenter tribuit. Neq; verò in Bononienſis agri incolas modò, ſed benigniſſimus miſerorum parens inexteros etiam, qui & liberalitatis fama, & corporum fame trahebantur, hoc beneficium liberaliter conferebat. Labore vt occuparet multos, ijſq;victus rationem ſuppeditaret(ſilebant omnia ferè negotia, diuiteſq; parcebant ſumptibus)quædam ædificia ad diuinum exercendum cultum,atq;ad tuendam Epiſcoporum dignitatem,de quibus alibi recurret ſermo, extruxit.

Penuriam hanc ſubſequuta eſt, veluti ſocia,crudelis peſtilentia, quæ non modò Italiam, ſed totam ferè inuaſit Europam. Tanta autem erat eius vis, vt momento perderet multos; ceteris verò vix concederet lacrymarum erga defunctos obſequium. Cum alibi debaccharetur huiuſmodi Typhon, in vrbes quoque finitimas obrepſiſſe haud falſus rumor circūferebatur. Porrò multæ numerabantur, ad quas peruenerat epidemię lues.Medicis remedia,Medici remedijs deerāt; deplorādamq;mortē humanis deſtituti auxilijs quamplurimi agebāt. Sed quod grauiſſimum erat,ipſa carebāt diuinarum rerum ope.Nullus reperiebatur,qui tot tantoſq; caſus miſeratus,ijs opitularetur,vel aures pęnitentibus præbendo, vel ſacram Synaxim miniſtran-

do. Parochi quotidiana deterriti morientium ſtrage, quaſi perculſi fulminis ictu, ſtupebant;& ſacra munera exercere recuſantes,in latebris,deliteſcebãt. Ad orationem confugit Gabriel, vt iratum placaret Numen, pararetq; ſibi ſubſidia,quorum ope cùm humanis,tùm diuinis conſuleret omnium commodis. Factus eſt eo auctore multus animorum motus;præbita pœnitentiæ documẽta; ſacra ſubſellia & a Sacerdotibus,& a populo frequentata; ieiunia obſeruata plurima; preces vbique fuſæ. Sacris inſtitutis ſupplicationibus,tribuſque indictis ieiunij diebus ſermonem habuit, in quo tota argumentorum ratio,ac vis eò collineabat,vt miſerorum inopiam verbis, cibis, ac cæleſtibus præſidijs, ſi opus eſſet,ſinguli adiuuare parati eſſent. Rectores non ſemel euocatos validiſſimis rationibus confirmare ſtuduit;quid exigeret Paſtoris officium tam ærumnoſo tempore,ſecum cogitarent;animaduerterent, ad quos pertineret animorum cura, & a quibus ſtrictiſſima redenda eſſet ratio, ſi fortè oues neceſſario & ad corpus, atq; ad animum leuamento deſtitutæ è viuis exceſſiſſent. Proponebat tanti miniſterij excellentiam;addebat Dei cauſa illud vitæ diſcrimen adeundum, quod ſingulis iam immineret. Crebram induxit precationem, qua Deus placatus propulſaret ſœuiſſimam illam a ciuibus peſtilentiam, a quibus pœnas, eaſq; grauiſſimas ob delicta patrata iure merito expetere & poſſet, & deberet.Manabat per totam ferè Galliam Ciſalpinam lues:Epiſcopus,veluti oculus,cernebat miſerãdum vniuerſi corporis ſpectaculum, quod ad homines in officio, & timore continendos diuina exhibebat iuſtitia. Nullum dabat finem lacrymis mortalium gratia fuſis;ſe veluti culpæ reum examinabat,ac condemnabat;

nabat; & vndiq; tamquàm fluctibus agitatus, diuinæ voluntati, qua huiuſmodi tragœdia excitata erat, libenter acquieſcebat. Altius enim inſpiciebat, a patrefamilias perditum filium, poſt effuſum in multas libidines patrimonium, nō ſolum acceptum in amicitiam, ſed multis quoq; cumulatum beneficijs. Mille operi manus admouiſſet, vt optimi fūgeretur munere paſtoris, qui animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.

Inſtituit in vrbe Miſericordiæ, quam vocant Societatem, eiq; ingentem pecuniæ vim erogauit, vt miſerorum calamitates ſubleuarētur. Epiſcopi ad exemplum quamplurimi non tàm nobilitate clari, quàm diuitijs pollentes, omnes in eo cogitationes collocabant, vt non modò augeretur cenſus, ſed vt omnia, quæ imminentem morbum auertere poſſent, præmitterentur. Hinc deſtinata quædam valetudinaria, aſſignati cuilibet loco Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ; delecti pij Sacerdotes, qui ægris aſſiſterent, & Sacramenta ſtrenuè adminiſtrarent. Eadem penè ratione Diœceſis ordinata eſt. Diuino tandim beneficio ceſſauit morbi vis; agrumq; Bononienſem nulla ratione attigit. Memoratæ autem ſocietatis alumni, conuerſis curis, cumulatam pecuniam pauperum vſui deſtinauere.

Gabriel Mediolanum, & Auguſtam Taurinorum proficiſcitur vocatus a D. Carolo, a quo multis cumulatur beneficijs. Cap. VI.

HIs curis occupatus Gabriel in grauem incidit morbum. Molecto namq; ſtomachi omnia nauſeantis dolore, alijſq; capitis offenſionibus excruciatus varijs primùm agitabatur febrium periodis; febri

mox peſtifera elaborauit. Stante ipſe vultu, & ſiccis oculis, Deo ſe commẽdatum habens, aduerſus irruentem morbi vim armatum religioſa conſtãtia animum opponebat verba;illa Diui Auguſtini proferre ſolitus: *Si exceptus es a paſſione flagellorum,exceptus es a numero filiorum;ſi promiſſa patris benè agnouiſti,non timeas flagellari, ſed exhæredari.*Ne autem vir Chriſtianæ,ac Bononienſi Reipublicæ valdè vtilis periret, cœpit morbus mitior fieri;& paulatim euaneſcere. Interim a Carolo Borromęo Mediolani Archiepiſcopo vocatur, tùm vt Synodo intereſſet, tùm vt Auguſtam Taurinorum ad venerandum ſacrum linteum vnà proficiſcerentur. Singularis intercedebat inter Borromęum, & Palæotum neceſſitudo,ſimili Paſtoris ſtudio, ac munere,eademq; virtutis induſtria, quaſi quodam pabulo, enutrita,atq; adulta. Diſpar tamen erat vtriuſq; regiminis ratio. Etenim magnus ille Antiſtes Carolus ſanctimoniam priſcorum Patrum æmulatus, ſe ipſum in ſeueriſſimus, corpus ieiunijs ferè quotidianis caſtigans, pane tantùm,& frigida illud vt plurimùm reficiebat. In populo autem regendo altiſſima Epiſcopalis adminiſtrationis poſiturus fundamenta, exactiſſima legum obſeruantia, rigoreq; antiquo ſibi vtendum eſſe duxit, vt ſtatim, ſi fieri potuiſſet, euerſa penitus corruptelarum immenſa mole, ædificium ex omni parte abſolutum conſurgeret: at Gabriel mitioribus adhibitis legibus, collapſam diſciplinam ſenſim reparare ſtuduit, ab honeſta hominum cõſuetudine, communiq;victus ratione nequaquàm alienus. Hoc autem diuino planè conſilio factum eſſe exiſtimo.Cum enim breuiſſimum vitæ curriculum Borromæo traducendum eſſet, nihil Eccleſiæ Mediolanenſi vtilius accidere poterat,quàm efficaſſi-

ficaſiſſima illa morum cenſura; Palæotus verò longa annorum ſerie, quibus Eccleſiæ Bononienſi præfuit, paulatim eam reſtituit, conformauitq; Qua quidem in re quis diuinæ prouidentiæ conſilia non ſuſpiciat? Ad optimam regiminis formam non vna tantùm ſemita, per aſperas ſcilicet montium difficultates, ſed etiam per amęnam camporum planitiem patet ſæpè aditus. Cum autem per id temporis Carolus quorũdam ſanctorum reliquias in opportuniorem locum ſolemni ritu transferret, vt erat Gabriel accuratiſſimus earum cultor, in illud præſertim incubuit, vt ſacris onuſtus pignoribus Bononiam reuerteretur, ſuamq; Eccleſiam nouis ornamẽtis cohoneſtaret. Quia verò ex ipſis Caroli litteris hæc omnia præclaro teſtimonio comprobantur, eas, ne quid detrahatur ſcribentis auctoritati, hic ponere placuit, cum plurimùm faciat ad Gabrielis, vitæ, ac morum, doctrinæq; celebritatem, Borromæi, qui paulò poſt in ſanctorum numerum relatus eſt, integerrimum, ampliſſimumque auctoramentum.

Carolus S. R. E. presb. Card. tituli S. Praxedis Archiepiſcop. Mediolanenſis.

Omni ſtudio inſtituta amplectimur, quæ fidelium pietatem excitant, quæque ob eam cauſam ſanctiſſimi Patres noſtri adhibuerunt, & illa quidem præſertim, quæ in noſtra hac eccleſia olim vſitata fuiſſe accepimus. Id enim aliquando in more poſitum fuit Epiſcopis, qui translationis celebritati præſentes adfuiſſent, aliquid ſacrarum reliquiarum, quæ translatæ eſſent pia liberalitate concedi.

Nos igitur hoc, quod oblata occaſione ad vſum reuocare ſtudemus, maiorum noſtrorum exemplo adducti, ac præterea

Illuſtr.

Illuſtr. Reuerendiſſimique in Chriſto Patris & D. D. Card. Palaoti Epiſc. Bonon. qui pro eo, quo tenetur amplificandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſiderio, ad ſolemnem S. Simpliciani, aliorumque ſanctorum tranſlationem, quam proxime concelebrauimus, litteris noſtris inuitatus, ampliſſima auctoritate ſua, & virtutum maximarum, quæ in eo elucent, ſplendore illam colluſtrauit, ſingulari pietate commoti; & ea quoque recordatione, memoriaque excitati, quod Eccleſia Bononiæ, cui ille præeſt, mutuis præcipuè charitatis officijs cum hac noſtra Mediolanenſi, & olim tempore potiſſimùm ſancti Patris noſtri Ambroſij, & iam nunc maxime coniuncta eſt, in eam deliberationem venimus: vt eidem religioſiſſimo Cardinali, Paſtorique vigilãtiſſimo Bononiam ad Epiſcopalem ſtationem ſuam redeũti, aliquas ſacras reliquias ſanctorum, qui in hac noſtra Mediolanenſi Eccleſia præcipue coluntur, nos pie impartiremur. Itaque ſancti Simpliciani Archiepiſcopi, & Confeſſoris digitum vnum de Eccleſia eiuſdem: sãctorum etiam Archiep. & Confeſſorum, Ioannis Boni, Monæ, & Galdini reliquias ſacras de Baſilica Metropolitana: S. item Arderici Epiſcopi, & Confeſſoris reliquiarum de Eccleſia S. Franciſci, & reliquiam quoque de ſacris cineribus S. Euſebij Archiep. & Confeſſ. ex Eccleſia S. Laurẽtij: ac reliquiã item de Dalmatica S. Patris, & Patroni noſtri Ambroſij, ex Baſilica Ambroſiana ipſa Illuſtriſſimo Cardinali Palæoto Epiſcopo Bononienſi pia largitate donamus, tradimus, impartimur, & concedimus. In cuius rei fidem, ac teſtimonium has litteras manu noſtra, ſolemnique ſigillo Archiepiſcopali ſancti Ambroſij munitas, atque obſignatas fieri iuſſimus, earumque monimentum, atque exemplum in Cancellaria Archiep. aſſeruari mandauimus.

Diœceſanæ igitur Synodo, ac ſacræ tranſlationi cum optatum impoſuiſſent finem, pijs incenſi cogitationibus, mutuiſq; excitati colloquijs iter ſuſcepere

Augu-

Auguſtam Taurinorum, vt in ea Ciuitate aſſeruatam Syndonem, qua ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus inuolutum fuit, venerarentur. Nouariæ, & Vercellis, alijſq;in oppidis multa pietatis, & ſanctimoniæ veſtigia reliquerunt. Auguſtæ Taurinorum regia planè magnificentia excepti ſunt a Duce Allobrogum, qui nullam honoris, & lætitiæ ſignificationem prætermiſit, qua incredibilem erga eos obſeruantiam, ſummamq; beneuolentiam, priuatim, publiceq;oſtentaret. At faſtu illo, & delicijs ea vtebantur moderatione, vt ſatis Duci facientes, nullaq; ratione modeſtiæ fines egredientes, ieiunijs, pijſq;alijs exercitationibus vacarent. Quamplurimi Cardinalium aduentu permoti confluxerunt, atq;eam Ciuitatem, quæ ampla eſt, ita obſeſſam tenuere, vt viris quoq; primarijs nullus hoſpitandi locus relinqueretur. His perſolutis votis, actiſq;Duci de tanta benignitate gratijs, Gabriel veniam a Borromęo impetrata, per Padum fluuium Bononiam defertur. Præmonitis interim Bononiēſibus de ſacris reliquijs, quas ſecum afferebat, triumphali apparatu in vrbem inuectus, die Apoſtolorum Principi ſacro, in cuius honorem Templum maximum Bononiæ Deo dicatum eſt, eas in ipſomet templo inter ſolemnem ſacrificij actionem, præclara habita concione, collocauit.

Gregorius XIII. Gabrielem pronunciat Archiepiſcopum, Eccleſiamq; Bononienſem ad faſtigium Metropolitanæ dignitatis erigit. Cap. VII.

ERat iam in Occaſu Annus MDLXXXII. cum ad ſuam Eccleſiam reuerſus Palæotus Romam a Gregorio Summo Pontifice euocatur. Cum enim

hic

hic de Patria ornanda aſſidue cogitaret,cumq; multos ex ea inſignes viros ad ſummos Eccleſiæ honores prouexiſſet, ad ſingulare ei decus adiungendum animum adiecit. Quare aliorum Pontificum prædeceſſorum (vtar quibuſdam verbis Pontificij Diplomatis) qui eodem honore patriam ſuam condecorarunt, morem, exemplumq; ſecutus, & eiuſdem etiam Cardinalis Palæoti, Epiſcopiq; Bononienſis, cuius non ignota erat cura, & ſollicitudo in gloria Dei, ſaluteq; animarum procuranda, pio ſtudio adductus,& Patriæ Bononienſis, quam vnicè in Chriſto diligebat, ſingularibus erga ſedem Romanam meritis commotus; Eccleſiæ ipſius, quam totis in Domino viſceribus complectebatur, pietate accenſus, ad illam meritis honoribus augendam, & promouendam adductus,pijs quoq; ſupplicationibus eiuſdem ciuitatis Quadragintauirùm, aliorumq;Magiſtratuum excitatus,adhibito ſacri Cardinalium Senatus Conſilio, Eccleſiam Bononienſem ad faſtigium Metropolitanæ dignitatis euexit, atque a Rauennatis Archiepiſcopi iuriſdictione liberauit.Ei nobiles ſeptē Eccleſias ſubdidit, Mutinenſem,Regientem, Parmenſem, Placentinam, Cremonenſem, Imolenſem, & Ceruienſem, ac Gabrielem Palæotum Archiepiſcopum, vniuerſo Cardinalium Collegio approbante,pronunciauit.Inde VIII.Idus Februarias eidem Pontifex manu ſua, cum Thomas Coſpius ipſius ciuitatis Orator adeſſet, pallium Archiepiſcopale impertijt. Haud multò poſt reditum ad Eccleſiam maturauit Gabriel, qui tot honoribus fuit exceptus,ac tot lætantium populorum gratulationibus, vt orationes eas conſectari non ſit huius loci. Sagaciſſimè perſonas æſtimat Bononia, quæ neq; honorem impendit immeritis,

ritis,& meritorũ cumulo impertitur æqualem: illa primoribus viris ad eum allegatis, obuia ei effuſa ſciuit, quam contingere dexteram optaret, quæ ora intueri, quo afflari fauonio, quorum luminum radijs affectaret ipſa perfundi. Nulla in tàm fauſtis acclamationibus Gabrielis mentem occupauit ambitio;ſed id dumtaxat animo reputabat, quì erga Patriam augeret merita. Die Annunciatæ Virgini dicata,prima ſacra Archiepiſcopalia celebrauit; inter quæ apud Magiſtratus,acSenatores,ſermonem latinum habuit,ac ciuitati dignitatis nouæ acceſſionem gratulatus, diploma recitari Pontificium iuſſit. Honeſtiſſimo æque, ac iucundiſſimo aſpectu totam hanc pompam cohoneſtarunt Petrus Donatus Cœſius Cardinalis Legatus, Philippus Guaſtauillanus Cardinalis, Herulus de Herulis Epiſcopus Narnienſis Prolegatus, Boncompagnus Boncompagnius ipſius Pontificis frater, & Hieronymus filius eius; præterea Epiſcopi ſex, Petrus Danius Epiſcopus Ploczenſis Regni Poloniæ Senator, atque apud Pontificem Legatus, cum Domum rediens fortè Bononiam diuertiſſet, Hieronymus Ragazonus Epiſcopus Bergomas,Conſtantius Bargellinus Reatinus, Ludouicus Bētiuolus Tifernas,Angelus Perutius Sarſinas, & Ioannes Andreas Caligarius Brittonorienſis. Hos verò omnes vna cũ aliquot Baſilicarũ ſanctorum Petri, & Petronij Canonicis, Senatoribus,& Gymnaſij Doctoribus gratiſſimo conuiuio Cardinalis lætus, ſed compoſitus ad modeſtiam excepit. Porrò ea honoris acceſſione nihil Bononiæ vel ad dignitatem illuſtrius, vel ad maieſtatem ſplendidius, vel ad Dei cultum aptius accidere poterat. Quoniam verò huiuſmodi erectionis Bulla multa continet ornamenta tùm vrbis,

Digitized by Google

tùm Eccleſiæ Bononienſis, in cuius ſinu conquieſcò Pœnitentiarij munere, quædam ipſius verba hoc loco ponere operæ pretium duxi.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſis orbis Eccleſijs, eo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet imparibus præſidẽtes, in omnes agri dominici partes oculos noſtræ mentis vigilis more paſtoris intendimus, inſpicientes, quid Eccleſiarum ipſarum, præſertim Cathedralium inſignium ſtatui, & decori maximè conueniat, atque hoc quidem tanto liberalius promptiuſque curandum cenſemus quànto magis ciuitatum celebritas, ac ciuium, & populorum ſuorum vota id expoſcunt, ac diuino fulti præſi lio illius, qui cuncta ex ſua benignitate ad fidelis populi ſui ſalutem diſponit, ad ea, quæ ad dignitatem, & ſtatum Eccleſiarum huiuſmodi augendum pertinent, officij noſtri partes libenter conuertimus, prout cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque Eccleſia Bononienſis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, cui dilectus filius noſter Gabriel tituli S. Martini in Montibus Preſbyter Cardinalis Palæotus nuncupatus ex diſpenſatione Apoſtolica præeſt, & quæ in primis ſancti Petronij Epiſcopi, & Protectoris Bononiæ interceſſionibus, & meritis, omni quidem tempore diuinæ pietatis abundantia magnis, multiſq; ornamentis exculta, non modò diœceſis magnitudine ſatis in omnem partem patens, ſed cleri, populiq; pietate, dignitate, amplitudine florens, Epiſcoporum quoq; ordine ſuccedentium, quos item multos ab initio ferè naſcentis religionis, ſæuientibus adhuc infidelium perſecutionibus, fidei defenſores, & in ſanctorum conſortio adſcriptos habet, numero affluens: ſacrarum præterea reliquiarum copia abundans, religioſiſſimis quoque tem-

templis, Baſilicis, Monaſterijs, locis pijs, & alijs, quæ ad omnem eiuſdem cleri,populiq; Bononienſis laudem inſignia ſunt, pietatis Chriſtianæ monimentis ornata, valde per ſe ipſa elucet: Cumque Ciuitas ipſa iam inde vſque a Theodoſio Imperatore ampliſſimis illuſtrata priuilegijs, & a diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad Regum congreſſus, Imperatoris coronationem, Concilij Oecumenici tráſlationem aliaſq; maximas res gerendas delecta, eiuſdemq; Apoſtolicæ ſedis primogenita, & ſtudiorum mater ab omnibus meritò nuncupata nobiliſſimo Gymnaſio, Doctorumq; & Scholarium ex omnibus orbis Chriſtiani partibus illuc confluentium frequentia, clariſſimo Quadrigintauirûm Senatu, & Magiſtratibus decorata: aliorum item illuſtrium virorum, apud quos & veræ religionis cultus, & ſumma in Romanum Põtificem, ipſamq; ſedem obſeruantia, & ſtudium ſemper enituit, copia quidem inſignis, quippe quæ in omnibus ſchiſmatibus partes veri Pontificis perpetuò ſuſtinuerit, & viros dignitatibus Eccleſiaſticis claros, Epiſcopos, Cardinales, Pontificeſq; de Eccleſia Dei optimè meritos ſæpenumero tulerit: ædificiorum item magnificentia, opibus, fertilitate, populi magnitudine, egregia erga exteros hoſpidalitate, ac præcipua erga omnes beneuolentia & caritate, omniq; alia virtute illuſtris & ſit, & habeatur. Nos poſt habitam cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus maturam deliberationem, de illorum conſilio, atqua Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad laudem, gloriam, & honorem omnipotentis Dei, ac Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, eiuſdemq; S. Petronij Epiſcopi, & Patroni Bononienſis, necnon ad vniuerſalis Eccleſiæ exaltationem, Eccleſiam ipſam Bononienſem in Metropolitanam Eccleſiam, & ſedem Epiſcopalem Bononienſem in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſq; & Metropolitani Præſidis ſedem, & Prouinciæ caput

pro illius Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, qui pallij, & Crucis vſum aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſq; alijs inſignibus Archiepiſcopalibus, necnon priuilegijs, honoribus, & prerogatiuis alijs Archiepiſcopis debitis, & conceſſis gaudeat, tenore pręſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, ac nomine, titulo, & honore Archiepiſcopali, & Metropolitano decoramus. Nec non Placention. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Eccleſias, earumq; omnium, & ſingularum Ciuitates, & Diæceſes cum omnibus, & ſingulis earum Territorijs, & terminis, &c.

Celebrat Concilium Prouinciale, cuius confirmationem obtinet Romæ, vbi aliqua præſtat. Cap. VIII.

PRouincialium Conciliorum vſum, atq; conſuetudinem, primis Eccleſiæ temporibus, ac per aliquot deinde ſecutas ætates, inſtitutam atq; retentam, demùm penè intermiſſam, traditamq; obliuioni renouare Palæotus vix Archiepiſcopus creatus decreuerat, ſed rem diſtulit ob varias cauſas, in primiſq; ob luctuoſam mortem Gregorij de Chriſtiano Orbe optimè meriti. Comitia adijt noui Pontificis creandi cauſa, in quibus poſt varias conſultationes, ac diuerſa ſtudia renunciatus eſt Sixtus V. ex cuius electione magnum ad Romani maieſtatem Imperij factum eſt additamentum. His peractis diſceſſum ſuum vrgere non deſiſtebat, vt meditatum negotium quamprimùm exequeretur. Bononiam igitur reuerſus Conuentum Prouinciæ Epiſcoporum indixit, peregritq; in hunc modum. Primùm omnium facta eſt eiuſdem publica denuntiatio, quæ expectatione, & alacritate mirum in modum animos erexit, quippe qui res nouas eſſent

viſuri,

viſuri,quas populus amat.Hæc autem promulgatio vt omnibus innoteſceret, ad ſingulos Prouinciæ Epiſcopos miſsi ſunt id genus homines, qui tùm Concilium ritè denuntiarent,tùm litteras ferrent,quibus benignè inuitabantur. Interim in Baſilica ſancti Petri diſpoſita ſunt ſubſellia,expoſitumq; quicquid auri,quicquid argenti, quicquid prætioſæ veſtis vel omnis Bononienſium ætas accumularat, vel Pontifices reliquerant, additis pulcherrimis periſtromatis Palæoti opera,ac libe ralitate recens confectis. Venientes Epiſcopi obuios habebant aulæ familiares,qui hoſpites deducebant ad Epiſcopium, in quo Cardinalis omni eos caritate, & honore complectebatur. Ceterum ſuum cuiq;conclaue diſpoſitum erat, domiciliaq; ſingulis aſſeclis collocata, ſuppellectili,ornatuq; omni adeò inſtructa, vt cũ ſplendorem Archiepiſcopi omnes laudarent, tùm verò multò magis intermicantem magnificentiæ modeſtiam admirarentur,eamq;imitari proponerent. Varijs pro conditione perſonarum paratis menſis accumbebant, ſacram audientes lectionem, qua finita, initium fiebat diſſerendi magna elegantia, atq; vrbanitate. In Concilio quamplurima fuere ſancita, quæ ad rectam totius Prouinciæ adminiſtrationem pertinere videbantur.

Octauo poſt inchoatum Concilium die, vt ſacris corporibus debitus tribueretur cultus,Bononiẽſiumq; pietas excitaretur, inſtructus eſt nobiliſsimus apparatus, quo reliquiæ ſanctorum Zamæ, qui primus fuit Bononiæ Epiſcopus, & Fauſtiniani, qui ſecundò eam rexit Eccleſiam, celeberrima pompa transferrentur. Viæ omnes conſperſæ erant floribus,parieteſq;aulæis conueſtiti; erectę aræ odorum ſuauitate confragrabant;

bant; plurima vbiq; conſpiciebantur virtutum Symbola, flammis omnia collucebant, quaſi cælum ſuis diſtinctum ſideribus defluxiſſet in terras; dies, & noctes videbantur non tàm ſuis ardere luminibus, quàm cereorum frequentia; mixti erant diuitibus pauperes, iuuenibus ſenes, pueris matronæ, tandem vniuerſa triumphabat ciuitas. Ferebantur pretioſiſsima pignora totius vrbis vel humeris, vel ſtudijs, & mira erat Epiſcoporum modeſtia, ſingulariſq; Gabrielis pietas, qui ea ab Eccleſia S.Felicis in Metropolitanam Baſilicam translata,ſub Ara maxima affabrè exornata in arculis cedrinis collocauit,& populum,qui frequentiſsimus confluxerat, Indulgentia plenaria a Pontifice permiſſa donauit. Huic pompæ,præter Antonium Mariam Saluiatum Cardinalem,tunc Bononiæ Legatum, ipſum Senatum, omneſque Magiſtratus,& ciuium ordines,affuere Epiſcopi Sarſinæ, Tiferni, Foroliuij, Caſtri, Auerſæ, Fauentiæ, Maſſæ, alijque primarij viri.

Non multo poſt Concilium tempore, Palæotus, vt decreta in eo ſancita a ſede Apoſtolica confirmarentur, Romam rurſus contendit, vbi a Sixto Pontifice, qui magni eum faciebat, conſilij, honoriſuè titulo detinetur. At ille Eccleſiæ ſuæ haud immemor non deſtitit repugnare Pontificis voluntati, plura afferens argumenta, quibus reditus neceſsitas oſtenderetur. Sixtus verò obijcere, aliquid, omiſſa peculiari procuratione,tribuendum eſſe vniuerſo Eccleſiæ corpori, & capiti; Cardinales ea mente inuentos eſſe, vt veluti Principes Chriſtiani Imperij, & diuinarum legum interpretes Apoſtolicam maieſtatem aſpectu,& conſilio tuerentur;ita demum velle ſe,ita iubere. Adnumerauit eum inter ſex Epiſcopos, qui Summo Pontifici aſ-

ſiſtere

ſiſtere dicuntur, pręfecitque Albanenſi Epiſcopatui, dimiſſo ſancti Laurentij, quem obtinebat, titulo. Et quoniam in titulorum mentionem incidimus, non eſt ſilentio prætereundum, duabus alijs Eccleſijs, nempe ſanctorum Nerei, & Achillei, & Diui Martini in montibus præfuiſſe, in quibus tùm modeſtiæ, tùm liberalitatis documenta reliquit. Porrò cum ei Templum S. Laurentij in Lucina latè patentis animarum curationis grauatum pondere obtigiſſet, vehemens, & aſsiduum adhibuit ſtudium, vt Sacramentis, concionibus, atque eleemoſynis pauperes adiuuarentur. Quare frequens Confeſsionis, & Communionis vſus cæpit vigere, auctore Cardinali, qui cum non poſſet ſingulis diebus feſtis memoratæ Eccleſię adeſſe, & prodeſſe, in ea ſibi adminiſtratione ſuffecit Ioannem Baptiſtam Stellam Romanum, hominem magno ingenio pręſtantem, atque a Pontificibus apud Principes in grauiſſimis rebus adhibitum.

Defuncto Vrbano Septimo agitur de Palæoto ſubrogando. Cap. IX.

SIxto Eccleſiaſticę auctoritatis inconcuſſo propugnatore, vita functo, Vrbanus VII. Pontifex Maximus creatur, qui ſtatim atque Pontificatum iniuit, conſilio in primis, atque opera Gabrielis vti cœpit, ſed duodecim ſpatio dierum importuna morte præripitur, incredibili totius vrbis, ac bonorum omnium mœrore. Deguſtato vix Pontificatu cum exceſsiſſet Vrbanus, Reſpublica Chriſtiana de noui Pontificis electione ſollicita varijs partium, ac ſtudiorum fluctibus agitabatur; ea tamen erat in maxima opinionum varie-

varietate conſenſio, vt in tot, tantiſque difficultatibus quibus ea tempeſtate premebatur Eccleſia, Gabriele nullus in ſacro Senatu aptior reperiretur. Cum enim multa in hoc Principe virtutis ornamenta in dies magis, ac magis florerent, præſtans animus, excelſa naturæ vis, multa rerum peritia, ſumma probitas, infinita propemodum manſuetudo; & quæ Pontificem maximè decent, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, æquitas in iudicando, vniuerſi populi vocem ad ſe pertrahebat. Hæc autẽ omnium votorum rea, Nohemi erat Colũba, quæ velut ad arcam Eccleſiæ, Pontificijs admiſſa comitijs, oleæ ramo propitiatum numen prænunciabat. In hanc quoque ſententiam maior Cardinalium pars venerat, quorum iudicia non fauor, non ambitus, non prenſationes perturbauerant, ſed Palæoti doctrina, prouidentia, & auctoritas multis experimentis comprobata allexerant. Quo tempore exequiæ Vrbano perſoluebantur, Vrbs ſuis penè diuulſa ſedibus ad Gabrielis domũ confluebat; & de eo, tamquàm de Pontifice deſignato, publicè agebatur. Aulicos officij cauſa ad ſe aduentantes humaniter dimittebat, & lectica vectus, vt eorum frequentiam euitaret, matura quaſi fuga ſollicitus in arcanas ſe latebras detrudebat. Familiares ſuos tanta conſtantia alloquebatur, vt nihil aliud, quàm ſingulare ſtudium, vehementemque ſollicitudinem de publica ſalute verba, frons, & oculi teſtarentur. Perhorreſcere ſe affirmabat, cum de ratione Deo reddenda vnius, aut alterius animæ cogitabat, quid verò ſi Epiſcopus foret? quid ſi Epiſcoporum caput toti Chriſtiano orbi præponeretur? Addebat, Pontificatum non tranquillitatis portum eſſe, ſed moleſtiarum pelagum, honorẽ innumeris refertum curis, in

quo

quo mens labore interdum confecta langueſcit, atque ad ſtuporē penè deducitur. in ea ſe conſtitutum ætate, vt tantum onus ſuſtinere minimè poſſet. Sacrum Senatum, quo nihil vel religione sāctius, vel dignitate illuſtrius, vel conſilio præſtantius haberet Eccleſia, multis conſtare viris, qui ad Romanam Thiaram nati videbantur. de ſe nihil ſperare, tùm quia difficillimè conſequimur, quod a ſecretis calculis pendet, tùm quia comitiorū volubilitas, maris inſtar, varias habet agitationes. Sæpè interpoſito die vno, aut nocte perturbari omnia, & totam opinionem leuiſſima rumoris aura nonnunquàm commutari.

Cum igitur conclaue eſſent ingreſſi, vt aliquem meritis ſpectabilem, qui ad clauum nauis Apoſtolicæ præſideret, eligerent, cumque in varias hinc inde ſententias diſcrepanti ſuffragio diſcederent, nonnulli ingenti aliorum numero ſuffulti, Palæotum, qui ad Petri ſedem omnium ſuffragijs eueheretur, expoſuerunt. Cum autem multæ ſint rationes, quæ in eligendo Pontifice ſeruantur, eam tamen, quæ fit per acceſſum, tamquàm tutiorem purpurati Patres amplexi erant, dum de Gabriele agebatur. Vltimus ad eum accedentium fuit Aſcanius Columna, qui quamuis in numerū Cardinalium adſcriptus eſſet a Sixto V. qui non ſatis beneuolo in Palæotum animo fuiſſe vulgò exiſtimabatur, tamen egregium Romanæ conſtantiæ, ac magnanimitatis proferens exemplum, priuatas cauſas publicis poſthabuit, ac perhonorifico teſtimonio huiuſmodi ad Gabrielem acceſſus ita concluſit, vt in corde iuxta, atque in ore populi diù fuerit Aſcanij præclara virtus, ac ſingulare iudicium. Vnum tamen ei defuit ſuffragium; reque infecta ad alia ſtudia adiecti ſunt electorum ani-

mi. Verum quadraginta dierum ſpatio in conſultationibus exacto ſubrogatus eſt Gregorius X I V. vir magnarum virtutum, & caſtimoniæ in primis laude percelebris. Gabriel verò gratijs publicè actis tùm ijs, qui de eo ad Pontificatũ promouendo laborarant, tùm ceteris, qui negotium turbare, & euertere conati erant, æquiſſimo animo, fronteque ſudo cælo ſimillima domum redijt. Porrò nemo eius vultum aut indecorum aſperſum notis, aut minus compoſitum, aut alicuius mœſti affectus nubecula infuſcatũ vidit; quinimmò nouas conſecutus corporis vires, auxit ab eo tempore conſuetos labores, omnibus adfuit, nullumque Senatoris optimi officium prætermiſit.

Qua in re ſumma omnium admiratio eſt excitata, quod intuerẽtur Gabrielem in extrema ſenecta è ſummo gradu deiectum, ad quem nunquam deinceps præ ætate aſpirare poſſe videretur, ita conſtãti, & forti animo caſum tuliſſe, ac ſi de re omninò aliena actum foret. Libet hic memorare, quæ tum cuidam amico tenuiori, qui multis nominibus eum vnicè colebat, & mœſtiori vultu ad illum inuiſendum acceſſerat, facetè dixerit. *Quid tu*, inquit, *tãtopere mœres? cur concidit facies tua? forſan ſpe illa vaniſſima, qua aluntur Aulici, elatus tibi perſuaſeras, fore, vt ergo Pontifex renunciatus, te in Cardinalium album referrem? O leuiſſimas hominum cogitationes, ac curas. ſpem, & mœrorem abijce; nam neque ego hoc de te vnquàm cogitaram; & rationes ſummi Hierarchæ valde diſſident ab ijs, quas modo Cardinalis Palaotus animo agitat.* Ita amicum ſolari conabatur, vt è riſu, & ioco de re ludrica cum loqui facilè arbitrari potuiſſes.

Ab

Ab Albanenſi tranſit ad Sabinenſem Epiſcopatum. Maronitarum ſuſcipit clientelam. *Cap. X.*

IN Albanenſi Epiſcopatu cum Synodum celebraſſet,optimique Paſtoris munus præſtitiſſet,ad Sabinenſem per optionem tranſijt. Ad eum campum,quem multis ſcatentem ſpinis inuenit, ea omnia cępit transferre,quæ Bononiæ égregiè peregerat. Poſt varias difficultates ſeminarium Clericorum Manliani erexit tanta felicitate, ac frequentia, vt præter Clericos,triginta nobiles adoleſcentes, qui loci fama permoti è varijs confluxerãt vel vrbibus, vel oppidis,bonis moribus ad eandem ferè diſciplinam informarentur. Viſitationum, ac Synodorum conſuetudinem iam diù intermiſſam renouauit, duodecimque conſtituit Preſbyteros Vicariorum titulo decoratos, qui toti quodammodò præeſſent,& prodeſſent Diœceſi. Varias ſuſtulit corruptelas; optimos induxit mores; miſerorum ſubleuauit calamitates, Eccleſiarumque nitorem vbique procurauit.

Tanta autem erat Palæoti magnanimitas, vt non modò de ſuis, verùm etiam de longinquis nationibus benemerẽdi ſtudia amplecteretur. Libanum Syriæ altum, vaſtumque montem inter Arabes, & Phœnices, cedro potiſſimùm fœcundum, atque inſignem, longè, latèque incolunt Maronitæ populi tùm regionis ſitu, tùm ingenij laude haud contemnendi. Epiſcopos habent,eorumque Metropolitanum, quem Patriarcham vocant. Catholicæ religioni addicti obtemperant Romanæ ſedi; Turcarum tamen oppreſſi tyrannide a veteri, rectaque fidei ſemita deflectere conſueuerant.

Eorum calamitatibus excitatus Gregorius XIII. qui nil aliud animo coquebat, quàm hominum ſalutem, inter cetera veluti Eccleſiæ propugnacula, Collegium nationis huius in Vrbe excitauit, in quo Iuuenes Maronitæ educati, Chriſtianis moribus, & ſacris litteris eo conſilio informabantur, vt ad patrios lares redeuntes, veræ fidei dogmata diſpergerent. Eius Collegij procurationem expleuerat Antonius Caraſa Cardinalis Neapolitanus, Pauli IV. Pontificis gentilis, poſt cuius obitum Maronitæ de Palæoti virtutibus quàm altiſſimè ſentientes, eius operam, & clientelam a Pontifice ſummis precibus impetrarunt. Neque eos fefellit opinio, quam de illius ſapientia, & benignitate conceperant. Onus namque eo complexus eſt animi æſtu, vt nihil haberet antiquius, quàm eorum conſulere cùm priuatis, tùm publicis commodis. Collegium is optimis conſtitutionibus, atque adminiſtris ſtabiliuit, congregationemque inſtituit proborum hominum, in qua de eius adminiſtratione quam diligentiſſimè ageretur. Nummariam eius difficultatem cum Clementi Octauo expoſuiſſet, effecit, vt Pontifex illud nouis etiã reditibus auxerit, donoque ei dederit non exiguam præſentis pecuniæ ſummam, quam Gabriel arbitratu ſuo diſpenſaret. Itaque ex ea ſacros libros in Maronitarum linguam ex latina conuerſos, impreſſoſque eorũ characteribus, candelabra, Cruces, calices, aliamque ſacram ſuppellectilem, Epiſcopalia quoq; indumenta oloſerica ad diuina ſacrificia parauit, atque ad primarium Antiſtitem, alioſque præſules tranſmiſit. Alumni verò tot beneficijs cumulati, veluti ſemina feraciſſimo inſita ſolo, in egregias educti plãtas, flores produxerunt, & fructus vberrimos. Recunditis namque in-

ſtructi

ſtructi litteris, apud omnes primas obtinebant, doctrinæ conſentanea in concionibus pronunciabant, vrbes præceptis erudiebant ad ſapientiam, moribus imbuebant ad honeſtatem; argumentis denique aduerſus impietatem, aduerſus hęreſes, aduerſus diabolicos impetus ſemper victores, nunquam victi eluctabantur.

Alphonſus Paleotus renuntiatur Eccleſiæ Bononienſis Coadiutor. *Cap. XI.*

ROmam, plenum amoris nomen, non adeò amabat Gabriel, vt Bononienſis Eccleſiæ obliuiſceretur. Apud hanc conquieſcere cum ſæpè fruſtra poſtulaſſet, exagitatus ſtimulis candidiſſimi animi, qui duarum ſimul ornatū, cenſumq; Inſularum nulla ſibi ratione licere arbitrabatur, in eam venit ſententiam, vt Archiepiſcopatu Bononienſi ſe ſe abdicaret. Rei grauitas diſtractum animum, & ancipitem occupabat. Plumbeo pede in negotio grauiſſimo vt procederet, ſupremi Numinis voluntatem precibus, & ſacrificijs & per ſe, & per alios inueſtigauit. Animo Deum quęrenti obuerſabantur pro vtraque parte rationes: Ac primùm quidem confirmabatur in ſuſcepta Bononię cathedra, quòd magni æſtimabat, eam ſibi a Pio V. ſummæ integritatis, ac prudentiæ Pontifice vltrò delatam. Altius repetebat, amorem eſſe ſemper eūdem, ac perpetuum; non eſſe rationi conſentaneum vale dicere ei, cuius procurationem amoris vinculo obſtrictus ſuſceperat. Beneuolentia, qua patriam proſequebatur, nō mediocriter mutationem retardabat. Verebatur, ne ſcintillas denuò emitterent rixæ, quas ille cęleſtis eloquen-

tię

tiæ flumine penè extinxerat. Eſt namq;offenſæ hæc indita natura,vt facilè reuiuiſcat. Quare adeſſe ipſe optabat,vt ciues mites conſeruaret, & omnem excandeſcentis iracundiæ æſtum aqua doctrinæ obrueret. Addebantur multiplices manipuli, quos in eodem agro ad optimam frugem facto, & exculto, colligere ſperabat egregius Dei vineæ operarius. Nihil ei accidere iucundius poterat, quàm multos adiungere Chriſto; nihil optabilius, quàm cum hominibus ad virtutis faſtigium anhelantibus ſpiritales agitare cætus, ac cum eiſdem periclitatione diſcere, quanti ſit, abiectis rebus fluxis,ad cæleſtes aſpirare voluptates.Obfirmabatur in eadem opinione, haud ignarus, conſuetudine præſcriptum eſſe,vt Cardinales, qui ſex primis Eccleſijs præſunt,a reſidendi lege eſſe abſolutos. Hæc,& his ſimilia argumenta, vt Bononienſem retineret Eccleſiam, agitabat animo Cardinalis Palæotus. Non deerant tamen aliæ rationes; quæ vt eam dimitteret,eiuſdem menti proponebantur. Occurrebāt præcipue virtutes Alphonſi Palæoti Bononiæ Archidiaconi, quem Pontifex non recuſabat coauditorem inſtituere, cum ſpe, vt aiunt, futuræ ſucceſſionis. Illæ porrò multum momenti habuere ad expugnandam Gabrielis mentem.Contemplabatur enim in Alphonſo admirabilem animi candorem, incredibile æquitatis, iuſtitiæque ſtudium, ac ſingularem in Deum, ac Diuos pietatem, omniaque fauſta ex tanto Coauditore ſibi pollicebatur. His igitur diſtractus cogitationibus cum eandem ſententiam modò probaret,modò reiceret,tādem Bononienſem Cathedram Alphonſo committendam eſſe operæ pretium duxit, ſeque triſtitia, qua premebatur,aliqua ex parte leuari ſenſit. Epaminondas,aduen-

tan-

tante morte, ſe libenter emori oſtendit, quòd filias duas viris optimis benè nuptas videret, commẽdataſque agnoſceret: Gabriel in vltima ſenectute conſtitutus, haud exigua perfuſus eſt lætitia, quòd filiam eam, quam vnicè ſemper dilexerat, Felſineam videlicet Eccleſiam fideliſſimo, caſtiſſimoque ſponſo coniunctam relinqueret, & valde caram. Tamen quoad vixit præſto ſemper ei fuit conſilio, opera, ac libris editis. Eius præſertim gratia euulgauit Archiepiſcopale, in quo omnia, quæ ad rectam illius Metropolitanæ adminiſtrationem pertinent, exquiſito ordine, ſingulari iudicio, parique eloquentia deſcripta ſunt. Cum autem quædam verba, quæ eo in libro præmittit, ad inſtitutum meum, atque ad Gabrielis animum explicandum ſpectare videantur, fideliter decerpta afferam.

Noſtis, inquit, *filij chariſſimi, quo primum tempore Epiſcopi renuntiati fuimus, nullam ferè nos moram interpoſuiſſe, quin ad deſponſatæ nobis Eccleſiæ complexum, paſtoraliſque illius curæ functiones obeundas, properaremus: cumque ſingulari Dei benignitate nobis licuerit, viginti quinque ferè annorum ſpatio apud vos libenti animo permanere, varia interim munia, pro tenui virili noſtra, ex ipſius Epiſcopalis officij ratione exercentibus, erat ſanè illud animo prorſus defixum, reliquum peregrinationis noſtræ curſum vobiſcum abſoluere.*

Factum eſt tamen, vt cum ſuperioribus annis inter ſex ſeniores Cardinales Summo Pontifici aſſiſtentes, ex vetere ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtituto, cooptati eſſemus, & Sedi Apoſtolicæ operam noſtram qualemcunque nauare iuberemur; inde vitæ noſtræ curſum mutare coacti ſimus; ita vt modo in Vrbe, modo Bononiæ, quantum oporteret, permittente Summo Pontifice, ex eo tempore nobis fuerit commorandum.

Ve-

Verùm cum multa, & grauia incommoda animo noſtro ſæpè obuerſarentur, quæ ex Paſtorum abſentia, gregi ſolent imminere; cognouimus ſimul etiam, eò acriorem a nobis ſolicitudinem adhibendam, mentiſque aſſiduam, vt ita dicamus, reſidentiam præſtandam omnino eſſe. Sed & amplius cogitantibus nobis hanc vigilantiam haud vſquequaque, cum paulò longior eſt abſentia, ſolere ſufficere; placuit eximiæ Gregorij XIV. fel. me. ſapientiæ, ad vberiorem Eccleſiæ vtilitatem, gregiſque totius ſolatium, eum nobis Coadiutorem in Archiepiſcopali munere adiungere; cuius virtus, & diſciplina ipſi met non ignota, vobis pariter (Dilectiſſimi) ob veterem eiuſdem in iſta Ciuitate, Diœceſi que conſuetudinem, diu ſpectata, atq; explorata eſſet.

Nos verò, præter hæc optantes, abſentiam hanc ipſam ampliore aliquo, ac diuturniore fructu, qui non ſolum ad vos, ſed ad poſteros etiam veſtros, Deo aſpirante eſſet peruenturus, compenſare; de multorum prudentum virorum conſilio, opus hoc nobis in præſenti edendum eſſe exiſtimauimus. Nam cum multa olim ex Tridentini Concilij decretis, ad mores reſtituendos, pietatemque inducendam, a nobis olim conſtituta ob temporis longitudinem, ac varietatem, non ita plenè omnibus cognita, ſparſimque diſiecta iacere animaduerteremus; ac nouiſſimè ſuperioribus menſibus Bononiam reuerſi, vt quæ oporteret, plenius conſtitueremus, idem ex Synodo Diœceſana tunc habita, & ex clericorum ſcrutinio deprehendiſſemus; iudicauimus, totam hanc Epiſcopalis muneris molem paulò diligentius eſſe euoluendam, atque in ſua capita, certumque ordinem cuncta digerenda; & quæ potiora eſſent, & vtiliora, ſiue aliàs tradita, ſiue poſtea adiecta, recentiùſque excogitata, nunc in vnum colligenda, ac certo volumine quaſi in promptuario includenda; vt eadem litteris mandata, quocunque tempore, ſiue me abſente ſiue præſente, ſiue etiam, quando

Deo

Deo placuerit, è vita ſublato, mentis noſtræ ſenſum vniuerſis patefactum, omni ex parte relinquerent.

Quod quidem cum in primis ad muneris mei rationem, ac tranquilliorem conſcientiæ meæ ſtatum pertinere viſum fuerit, tùm etiam Cleri, & Populi noſtri vſui appoſitum valde futurum exiſtimaui; cum hinc, quaſi à nobis ipſis, ea quæ in rem eorum erunt, Canonici, Parochi, Preſbyteri, Clerici, Moniales, tùm Magiſtratus, Patresfamiliàs, Mercatores, Artifices, & reliqui cuiuſcunque ordinis haurire commodè valeant.

Amplius verò Archiepiſcopis etiam, & ſucceſſoribus noſtris, & ijs præſertim, qui fortè aliunde oriundi huic adminiſtrationi aliquando præficientur, eadem non inutilia fore iudicauimus: quandoquidem, ſicut qui per alienas prouincias, ignotaque loca peregrinaturi, ſolent ducem aliquem itineris ſibi libenter adſciſcere: Sic illi, qui morum, inſtitutorumque huius Eccleſiæ minus interdum periti erunt, non leui, vt ſperamus, ſibi commodo futurum eſſe intelligent, has qualeſcunq; diſciplinæ noſtræ ſemitas, ſibi ante oculos propoſitas habere; quibus ad muneris ſui metam non ſolum faciliùs dirigantur, ſed etiam cura aliqua, & moleſtia, noua quotidie promulgandi decreta, liberentur. Fit enim perſæpe, vt non ſecus ac valentia corpora pharmacorum multitudine exagitantur; ſic populi, legum copia, ac varietate opprimantur.

Hæc ſunt (Dilectiſſimi) quæ vobis pro Paſtorali noſtro officio, dum in Vrbe apud Sedem Apoſtolicam detinemur, ſignificanda eſſe duximus; cupientes conſilia hæc noſtra veſtris rationibus ſalutaria euadere, atque omnipotenti Deo in primis probata eſſe; rogantes eundem patrem miſericordiarum, vt cæleſtem vobis ſuam benedictionem impartiatur; atque poſt breuis huius æui curriculum, nos ſimul in æterna ſecum patria coniungere dignetur, vbi ſempiterna cum eo gloria per-

fruamur, eiuſdem gratia, & benignitate, qui viuit, & regnat in ſæcula. Valete in Domino.

De monumentis ingenij Cardinalis Palaoti, ac de ſtudijs, quibus litteratorum amicitiam excolebat. Cap. XII.

SOlertiſſimi Archiepiſcopi, & Optimi Cardinalis penè obrutus laboribus tot ſcripſit, ediditque libros, vt nemo non admiratione capiatur, occupatiſſimum hominem tantis potuiſſe inſudare commentarijs. Nam præter *Archiepiſcopale*, & librum *de Nothis, ac ſpurijs*, de quibus ſupra diximus conſcripſit volumen, inſcripſitque; *De Bono ſenectutis* doctum, variaque rerum cognitione refertum. Quanti apud omnes fuerit, vnum hoc indicare poteſt, quod etſi ſæpius varijs in locis impreſſum, & euulgatum eſt, nec non in patrium noſtrum ſermonem conuerſum, vix tamen illud apud Bibliopolas reperitur. Præterea Bononiæ a ſe incœptum, *Opus de ſacris imaginibus*, Romæ perfecit tanto omnium applauſu, vt in eo omne Gabrielem tuliſſe punctum Reſpublica litteraria affirmare non dubitet. Qui purpurati Senatoris partes voce compleuerat, ſcripto quoque eas deſcripſit, ediditque librum, cuius titulus eſt, *De ſacri Conſiſtorij conſultationibus*. Plura autem reliquit Opera, quæ licet luci non ſint tradita, luce tamē digniſſima communi litteratorum ſuffragio exiſtimātur. Hæc autem inſcribuntur, *Acta Concilij Tridentini*; *De cœlibatu Sacerdotum*; *Deciſiones cauſarū*, quas Auditor Areopagi Chriſtiani iudicauit; *Sermones varij*; ac denique *Epiſtolę* conſcriptę Regibus, alijſque primarijs viris. Fuit ei magnum, & acre ingenium, & ad ſcientias acqui-

acquirendas valde accommodatum; memoria feliciſſima, quæ & lecta facilè reciperet, & recepta diù retineret; ſtudium non vulgare, ſed ferè pertinax; animuſque diſcendi mirabiliter auidus, qui nonniſi libris euoluendis delectabatur. Negotium autem Cardinali erat peruolutare ſcripta omnia veterum, quibus Latium, quibuſne Græcia gloriatur; aliquos etiam Hebræos auctores percurrebat, nullumque dimittere ſolebat librum, donec genus omne litterarum, quod ineſſet, pari voluptate, & labore exhauſiſſet. Oratores, Poetas, & veteris memoriæ monumenta non reſpuebat, haud immemor, veteres Eccleſiæ Patres hanc litterarum partem non parui duxiſſe, eorumque ſcripta petitis inde ſentẽtijs, atq; teſtimonijs nonnunquam ſupra ornatum abundare. Quare ſtuduerat habere ingentẽ Bibliothecam, exhauriebatq; Bibliopolarũ apothecas omnes, petens inde quicquid eximij præſtaret apud eos, ſiue celaretur. Plures quoque homines litteris, & mandatis, & pecunia probè inſtructos in varias dimiſit regiones, vt libros conquirerent, inuentoſq; ad ſe afferrent. Ad eum breui peruenit numerum Bibliotheca, millia vt quinq; voluminum in ea deſcriberentur. Hac lectionis contentione, & induſtria comparauerat ſibi aureas ſanctorum Patrum ſententias, omnia ferè Bibliorum teſtimonia, innumeros Conciliorum Canones, plurima Pontificum decreta, infinita propemodum Philoſophorum, & Oratorum dicta. Abſque vlla hæſitatione loquebatur aliquandò Græcè, latinè verò ſemper, ſi opus eſſet. Poloniæ Regis Oratori, qui varijs miraculorum, ac virtutum argumentis apud Sedem Apoſtolicam regio nomine curabat, vt Hiacynthus ex Ordine Dominicano in ſanctorum nu-

merum adſcriberetur, ex tempore latinè reſpondit, eumque latinis verbis interpellauit. Scribendi genere floruit eleganti, claro, ac temperato, crebris ſententijs, multiplicique eruditione diſtincto. Stylus eius riui inſtar; non decurrit ſummo impetu, ſed leniter fluit, atque ita alluit lectoris animum, vt debiti humoris alimentum ei impertiatur. Hæc fuère Palæoti ſtudia, ſine quibus Epiſcopalem, ac Senatoriam dignitatem conſiſtere non poſſe iure merito opinabatur. Cum enim Epiſcopi, & Cardinalis partes ſint omnium prouidere ſaluti; diuina interpretari arcana; ſoluere difficultatum nodos; Eccleſiaſticam tueri libertatem, & iuriſdictionem, non videntur, qua tandem ratione hæc munera ritè præſtare poſſint, niſi validiſſimis doctrinæ præſidijs confirmati ſint.

Singulos homines, qui ea tempeſtate viuebant vel Philoſophiæ arcanorum interpretes, vel ſacræ Theologiæ cultores, vel linguarum cognitione celebres, vel eloquentiæ laude florentes, vel alio diſciplinarum genere exculti, ita colebat Gabriel vt, ſola fama notos epiſtolis, alijſque officijs ſibi amicos adiungere ſtuderet. In ijs fuère Oſorius, Stapletonus, Lipſius, pluresque alij, qui multis diſciplinis informati, admirabilique ingenij vi communiti ingentibus monumentis Bibliothecas ornarunt. Ludouicum Granatenſem, virum celeberrimum, ſanctioriſque eloquentiæ facilè principem, & Franciſcum Panigarolam ipſo nomine ſatis, ſuperuè clarum, Summis Pontificibus ſæpè commendauit, vt inter ſacri Senatus Patres cooptarentur. Ludouici imaginem, poſtquàm è viuis exceſſit, typis expreſſam apud Italos euulgauit, vt eum quoque mortuum amarent, quem iuum veluti Chriſtianæ facun-

diæ

diæ normam venerati, videre non potuerant. Iiſdem apud Sedem Apoſtolicam officijs proſecutus eſt Martinum ab Apzilcuta Hiſpanum Doctorem eximium,& Gulielmum Alanum inter Anglos celebrem. Maximo quoque in honore habuit Cæſarem Baronium Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptorem diligentiſſimum, & Franciſcum Mariam Taurufium in multis litterarum facultatibus verſatum. Quare ijs in Collegium Cardinalium accitis, incredibile eſt, quātoperè probarit hoc Summi Pontificis factum. Idem præſtitit pro Nicolao Sfondrato, qui poſtea & Cardinalis, & Pontifex fuit, ac pro Federico Borromæo, qui tùm purpureo galero, tùm infula Mediolanenſi ornatus, ſancti Caroli veſtigijs inhærere ſtuduit. Familiares habuit Pererium, Poſſeuinum, Iuſtinianum, Palmium, Belarminum, alioſque viros tùm religione, tùm ſapientia præclaros, eorumq; opera, conſilio, ac doctrina in grauiſſimis cauſis vtebatur. Multis cumulauit beneficijs, parique beneuolentia proſequebatur Carolum Sigonium, qui eius iuſſu Hiſtoriam Epiſcoporum Bononienſium, Commentarios in Sulpitium ſeuerum, & alios libellos latinè conſcripſit. Delectabatur maximoperè Vlyſſis Aldrouandi Bononienſis conſuetudine, qui omnium artium, & in primis philoſophiæ præſidijs inſtructus ingentia edidit volumina. Ex hoc quoque genere fuère Fabius Albergatus, Lucius Magius, Federicus Pendaſius, alijq; multiplici rerum cognitione, & nobilitatis gloria præſtantes. Prætereo eius domeſticos, & aſſeclas, quos habuit in omni ſcientiarum genere eruditiſſimos, Alexandrum nempè Burgium, qui Eccleſiæ Burgi ſancti Sepulchri præfuit, Euangeliſtam Carboneſium, qui procurante Palæoto lectus eſt Canonicus ſancti Petri

Romæ,

Romæ, Alexandrum Beroaldum,Gulielmũ Seepræum Anglum, Antoniumque Gigantem. Tandem ſi fortè quempiam in aliqua ſcientia vel virtute excellere intellexiſſet, in eum multa officia conferebat tanto animi ſtudio, ac ſollicitudine, vt multò vehementius, quàm ſi ipſius ageretur res, eorum cauſa laboraret. Hac vna ratione in huiuſmodi officijs languidus videbatur, quòd ad omnium merita compẽſanda eius animo deficerent vires, opulentaque non adeſſent Sacerdotia,quibus ornarentur viri,qui eruditorum calculis inter ſapientes numerabantur.Illud verò nequaquam prætermittendum arbitror, tàm grato Gabrielem animo coluiſſe amicos, ac litteratos, vt in mortuos etiam beneficia liberaliter conferret.Nam præter cetera anniuerſaria in Baſilica ſancti Petri Bononiæ, ſuo ære conſtituta, duo quotannis celebrantur, alterum pro Nicolao Bargeleſio, qui eius fuit præceptor, alterum verò pro Carolo Sigonio, qui Eccleſiam Bononienſem hiſtoriæ monumento illuſtrauit.

Innocentio IX. breuem, ſed præclaram nauat operam. Mox Clementis VIII. permiſſu ad Eccleſiam Bononienſem reuertitur, in qua Synodum celebrat, Pœnitentiarioſque inſtituit. Cap. XIII.

POſt Gregorij XIV. obitum Innocentius Nonus Bononienſis ex prçclara Fachenettorum familia, ſingularis ſapientię, atque integritatis vir, veterique neceſſitudine Gabrieli coniunctus, Vaticani principatum duos tantùm menſes moderatus eſt. Quo quitempore oſtendit ſanè, quanti Palçotum faceret. E primo vix limine Pontificatum ſalutauerat, cùm

ſtatim

ſtatim eum prȩfecit Congregationi, quam inſtituerat, vt in ea de morum correctione Vrbi valde neceſſaria multa decernerentur; vnde in reliquas Chriſtiani Orbis partes & prȩſcriptȩ leges, & optimȩ diſciplinȩ exempla diffunderentur. Cardinales,qui ad eam conueniebant,fuère Alexander Medices, Archiepiſcopus Florentiæ, qui Leonis X I. nomine Diui Petri ſedem obtinuit, Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronȩ, Federicus Borromȩus Archiepiſcopus Mediolani,& Auguſtinus Cuſanus. Sublato è viuis Innocentio,ablataque optimȩ diſciplinȩ ſpe, non tantum lacrymati ſunt oculi, quod vſitatum eſt, ſed lingua etiam laudes habuit pro lacrymis. Verùm Clementis electio oſtendit, ad Pontificis Optimi magnitudinem ſpectare , vt quemadmodum, eo occidente partem quoque mortis aliquam omnia propemodum ſentiunt, ita illo exoriente omnia ſpiritum trahere videantur. Cum eo recenter creato egit Gabriel, vt ſibi facultas daretur redeundi ad Eccleſiam Bononienſem, quam ea conditione obtinuit, vt ad Vrbem reditum maturaret.Cum primùm Bononiam peruenit, Synodum indixit, ad quam inſigni pietatis, & religionis ſtudio Clerus tàm benè inſtructus acceſſit, vt nihil ferè amplius in eo, quod ad diſciplinam pertineret,deſiderari poſſet. Auxit eiuſdem Cleri, ac populi pietatem perhonorifica reliquiarum tranſlatio iiſdem diebus inſtituta. Extruxerat Cardinalis Palȩotus ad dexterum latus Arȩ maximȩ in Archiepiſcopali Baſilica ſacellum marmoribus, picturis,organis muſicis,atque ſuppellectili valdè ſpectabile, congruoque cenſu ad diuinum in eo cultum retinendum locupletarat. Ad idem ſacellum apparatu quàmmaximè ſolemni plurimas ſanctorum reliquias

liquias aureis, argenteiſque thecis diſtinctas a veteri, vbi in Epiſcopio priuatim aſſeruabantur, loco tranſtulit, eaſque populo Bononienſi perpetuò colendas tradidit. Inuiſit quoque Cœnobia ſanctimonialium, quas ſanctiſſimę Euchariſtię pabulo ſuis ipſe manibus reficiebat. Per idem tempus cum maxima eſſet Bononię annonę caritas, incredibili charitate omnes iuuit.

Probè gnarus, deprauatorum emendationem morum a frequenti Confeſſionis, & Communionis vſu pendere, quattuor delegit Sacerdotes, qui Pœnitentiariorum titulo eum inducere omni conatu ſtuderent; ijſque attribuit Eccleſiam S. Andreę de Plateſijs, cuius Paręcia Rectoris morte vacans ad eandem Baſilicam Pontificis permiſſu tranſlata eſt. Non multò poſt cum varię exorirentur difficultates, Alphonſus Palęotus ſecundis de mea Congregatione rumoribus excitatus, Patres euocauit, eoſque, additis quibuſdam menſę Archiepiſcopalis fructibus, Pontificio impetrato diplomate, perpetuò ſubſtituit. Pręcipuę Patrum curę ſunt in Metropolitanam Eccleſiam conuenire, confluentium animos confeſſione expiare, difficultatum ad mores ſpectantium nodos ſoluere, conſuetis examinis ſcrutinijs intereſſe, libros prælo committendos Archiepiſcopi nomine videre, & probare, in carcere detentorum confeſſiones excipere, liteſque, ac controuerſias piè componere. Maxima Pœnitentiarios complexus eſt beneuolentia Alphonſus, eoſque multis cumulauit beneficijs. Nam ex eo tempore, tanti Præſulis patrocinio, præter ædes Pœnitentiariæ, Collegium fundarunt apud ſancti Michaelis Archangeli Eccleſiam; mox commigrarunt ad alium proximè locum, tùm plurium concurſu viarùm, tùm populi fre-

quentia multò ſpectabiliorem. Deo Templũ in honorẽ S. Pauli dicatum a fũdamentis erexerunt, non tàm magnitudine, quàm ornatu inſigne, & in primis celebre. Illuſtriſs. Spadarum familiæ, ac præcipue Eminentiſs. Cardinalis Bernardini regia planè magnificentia extructum eſt Altare maius mixtorum inciſione marmorum, mira lapidum commixtura, ſtatuarum, ac columnarum integritate, & pretio, opportuna tholi altitudine, marmorea pauimenti incruſtatione, ac pulchra cancellorum inuentione ſuperbum, ac ſingulare. Opus enimuero mirabile, cui noua operum magnanimitas quicquam adhuc in pari mole, Bononiæ ſaltem, adæquare non poteſt. Eiuſdem familiæ liberalitate ad finem perduta eſt Templi facies multiplici coronide, & egregijs ſtatuis diſtincta. Ceterum pluribus deſcribere totius operis molitionem, & pretium omitto, ne ab inſtituto meo deflectere videar.

Gabriel reuerſus Romam omni contentione agit cum Clemente VIII. vt Henricus Borbonius in ſinum Eccleſiæ recipiatur, Hyacinthuſque Polonus referatur in Sanctorum numerum. Cap. XIV.

VBi primùm Henricus Borbonius eius nominis quartus, præclariſſimam gloriam non tàm inter faſcias, ac faſces inuentam, quàm rebus geſtis acquiſitam turpiſſima hæreſeos labe obſcurauit, eum proxima Cælo auctoritas ab Eccleſiæ gremio ſeiunxit. Sed cum ſtimulis conſcientiæ agitaretur, pœnitentia ductus, Oratorem miſit, qui a Clemente VIII. veniam peteret, & abſolutionem. Ille pro ea, qua erat animi conſtantia, & iudicij acumine, multis adductus ratio-

nibus, quæ de regis voluntate periculum faciendum eſſe ſuadebant, regijs poſtulatis annuere recuſauit. Negationis, quaſi fulminis ictu percuſſus Rex, Peronium, virum antiqua nobilitate, ſingulari eruditione, miraque dexteritate inſignem, ad eundem Clementem deſtinauit, vt de reconciliatione cum eo ageret; deditque in primis litteras Cardinali Palæoto, qui Romam tùm redierat, vt nouo Oratori conſilio, & opera omninò præſto eſſet. Adijt Gabriel Pontificem, rationeſque precibus miſcere cœpit, vt Regem in Eccleſiæ ſinum admittere non grauaretur. At Pontifex inueſtigare cupiens, an id eſſet è re Chriſtiana, veterique diſciplina, publicis indictis precibus cum Romano Clero, ac populo nudis veſtigijs ad ſacras Ædes Deo ſupplicaturus proceſſit. Peracta ſupplicatione tot, tantiſque officijs Clementis animum vnà cum Peronio Palæotus oppugnare non deſtitit, vt ad eum in ſuam ſententiam pertrahendum plurimum momenti habuiſſe exiſtimaretur. Quare promulgato gratiſſimo reconciliationis nuncio, hanc Regiæ Maieſtati conſcripſit epiſtolam.

Superioribus diebus, ſicuti aduentũ Clariſſimi, & doctiſſimi Peronij vna cum litteris ſacræ Maieſtatis V. ad me miſſis, ſumma cum hilaritate, atq; honore excepi, ſic poſtea non deſij operã meam qualemcũq; atq; adiumentũ libentiſsime eidem impartiri. Verum ſumma Sanctiſsimi D.N. Clementis VIII. prudentia, ac ſingularis in Maieſtatem V. & inclytum iſtud Regnum charitas, ita omnia accuratè complexa eſt, vt nobis vix quicquam ad agendum fuerit reliqui. Quare cum diuino beneficio expectata a nobis diù reconciliatio, cum ingenti omnium plauſu, & publica lætitia, fuerit ſubſequuta, non poſſum non maxime Maieſtati V. gratulari, certa ſpe-

fretus,

fretus, præclariſsimum hoc opus, æterno Regi Regum acceptiſſimum extitiſſe, ac ſubinde Maieſtatem V. ex ſanctiſsimorum Regum ſanguine prodeuntem, illorum quoque pietatem, ac ſingulare in Catholicam Religionem ſtudium, pro animi magnitudine, ac ſapientia æmulaturam, ita vt in dies magis perpetuam illi incolumnitatẽ, atq; in Regno ſuo veteribus diſciplinis muniendo, & conſeruando proſperitatem vniuerſi conſtanter precari non deſinant. Quod diuina Clementia ad Eccleſiæ ſuę propagationem largiri dignetur.

Cum autem oculatiſſimus Pontifex in Palæoto magis, ac magis animaduerteret altam mentis vim, exaggeratam ſapientiam, exquiſitamque in rebus agendis diligentiam, eum inter alios ſelegit, qui Hyacinthi Poloni geſta, & miracula examinaret, referretque. Cui quidem muneri cum quattuor annos diligentem nauaſſet operam, tandem retulit, illud vnum deſiderari ad religioſiſſimam petitionem Regum Hiſpaniarum, & Poloniæ, qui eiuſdem inaugurationem ſedi Apoſtolicæ, ac Palæoto enixè commendauerant; atque ad commune omnium votum, & bonum, vt ſanctiſſimus Pater, qui hominum cauſas apud Deum agebat, Hyacinthum ſanctorum catalogo, vſitatis Eccleſiæ cæremonijs (vt paulo poſt fecit) adſcriberet. Per eadem ferè tempora idem Rex Catholicus, qui Palæoti fidem, conſtantiam, integritatemq; ſæpiſſimè expertus erat, vt Patruo obſequeretur, Galeatium eius Nepotem, egregiæ indolis adoleſcẽtem, in Equitum S. Iacobi nobiliſſimum ordinem cooptauit, & Palæotæ genti hanc fecit honoris acceſſionem. Immortales Regi gratias reddidit Gabriel, cuius rara in excolendis Principum amicitijs forma cũ Eccleſię dignitate, purpuratique Senatoris decoro cõiuncta omnibus nota perſpectaq; erat.

De ſupremo tempore vitæ fuit, ac de eius Obitu. *Cap. XV.*

HIs, atque alijs intentus muneribus, incidit in morbum, quem auxit obitus Camilli Fratris quem in oculis ſemper tulerat, tùm quia ille natu, maior erat, tùm quia ea prudētiæ diſciplina pollebat, vt publicorum æquè, ac domeſticorum negotiorum molē, non exigua cū Palæotorū laude ſuſtineret. Cum tam, en remitti cępiſſet morbus, placidis quibuſdam itineribus, in quibus magis cæleſtibus animi voluptatibus, quam caducis corporis delicijs vacabat, medicorum iuſſu ſe commiſit. In ijs de morte frequentes ſermones cum familiaribus ſerere non deſiſtebat; cumque ſæpius inter loquendum, vt fit, memoraretur eorum felicitas, qui incolumes, ac robuſti lōgiſſimam traducunt vitam, obijciebat ille plura ſanctorum Patrum dicta, vſurpabatque frequentiſſimè illam ſententiam Diui Hieronymi: *Nulla res longa mortalium, omniſq; felicitas ſęculi, dū tenetur, amittitur.* In itinere, quod poſtremum ſuſcepit ineunte vere per Tarquinienſes ad Forum Claudij, qui locus nunc Tolfia vocatur, fama rei permotus ſe contulit ad viſendam Aluminis venam, quod ex duriſſimo lapide, mira induſtria, operoſoque labore conflatur. Immenſus eſt enim, ac propè incredibilis hominum numerus, qui in opus illud incumbunt, dum alij in præcipiti monte diù, nōctùque lapides cædunt, alij plauſtris iam cæſos vehunt, aquis irrigant, atq; emolliunt; ceteri verò coquunt, aliaque præſtant, quæ ad conficiendum alumen requiruntur. Immenſi illius opificij Gabriel aſpectu ita recreabatur,

tur, vt animo ſimul erectus, non tàm arcana naturæ, atque induſtriæ humanæ vires, quàm ſanctorum Martyrum anguſtias contemplaretur, qui in ſiticuloſis inſulis ad ſcindendos lapides a ſœuiſſimis Tyrannis damnabantur. Inde cum Romam rediret, peruenit ad portum, vbi apud Cētum cellas claſſis Pontificia commorari ſolet: quo quidem in loco quàmdiligentiſſimè conquiſiti Bononienſes, qui triremibus addicti erant, pecunia, veſteque inſtructi, impetrata a Clemente VIII. facultate, dimiſſi ſunt. At calculi dolor, quo ſępiſſimè tentabatur, tàm vehementer ſœuire cœpit, vt præter febris acceſſus, & momenta, incredibili ille arderet ſiti, ſemperque vigilaret. Tertio ægritudinis menſe, morbo quotidie magis, ac magis ingraueſcente, factis varijs conſultationibus, de eius ſalute actum edixere Medici. Re a Palæoto cognita, quæ ad extremum tantùm diem recte obeundum pertinerent, piè tranſigebat. Hinc magna quadam dulcedine delibutus, ac miro incenſus ſtudio illa Apoſtoli verba ſæpè in ore, ſæpius in corde habebat. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Inter morbi dolores non exigua perfuſus lætitia, aliorum de ſe lacrymas ſolabatur, eorum commemoratione bonorum, quæ ſibi ex illo obitu euentura ſperabat. Dum per quaſdam doloris veluti inducias, licuit, cæleſti ſemper reficiebatur dape; quotidieque horas canonicas recitabat; cumque ita langueret, vt verba pronunciare non poſſet, Sacerdotes eas recitantes audiebat. Expoſcebat frequenter opem Virginis Deiparæ, & ſanctorum Michaelis Archangeli, Petronij, Dominici, & Franciſci, quos tamquam tutelares præcipuo cultu venerabatur. Aduocare conſueuerat modo vnum, modo alterum è domeſticis; &

de cæleſti gloria, rerumque humanarum deſpicientia verba interrupta contexebat. Sub finem vitæ, antequàm ſacram ſibi adhiberi vnctionem iuberet, familiaribus adſtantibus,iiſdemque ad morum diſciplinam rectè colendam, ad concordiam retinendam, ad amorem Dei conſeruandum integris ſenſibus, excitatis, huiuſmodi protulit verba: *Morior nō laboribus confectus, neq; remedijs deſtitutus,ſed quòd hora aduenit mea. Denuò perſonam Epiſcopi a Pio impoſitam, non a me quaſitam, hac mea,ſi opus eſſet, tenuitate ſuſtinerem. Non me deſeruit ſtudium augenda religionis; an defuerim ego ſuſcepta cauſę, ignoro. Vos,ſi aliqua fortè offendiſſem ratione, quaſo,ignoſcite imbecillitati mea. Iurgia ponite, ſi quę animos occupauere. Preces pro me fundite,eo potiſſimùm tempore, quo è viuis migrabo.* Tùm ea Chriſti Cruci affixi imagine, quam præ manibus habebat, ſingulis ad optimi parentis caros amplexus accedētibus magno animi ſenſu benedixit. Mox haud immemor Eccleſiæ ſuæ, & aſſeclarum, dictauit epiſtolam, qua Alphonſo Palæoto Coauditori tùm Metropolitanam Bononienſem, tùm familiam ſuam commendatam voluit;eademq;hora cum ſalutarem expiationem, & indulgentiam ritu catholico a Summo Pontifice poſtulatam obtinuiſſet, vt tranquilla mente mortem expectaret,ſignatas teſtamenti tabulas Præfecto Domus tradidit. Conceſſerant ei Summi Pontifices, vt inſtante ſupremo vitæ tempore quaſdam penſiones conſanguineis aſſignare poſſet; at ille quadam propoſiti tenacitate, ſe negotio huiuſmodi implicari negabat. Adhibiti ſunt,& in partem agendæ rei aſſumpti plurimi viri, qui in religioſa paleſtra totum ferè vitæ curriculum inſumpſerant, eamque opinionem ſibi conciliauerant, vt ſanctimonia iuxta, &

do-

doctrina præſtarent. Ij incuſſa etiam religione, tamquam aduerſus diuinam voluntatem, quæ amoris ordinem præſcribit, contumax ille eſſe vellet, euicère, vt non ſatis pinguem ſuorum cenſum augeret. Tandem cum omnes corporis partes præ dolore obſtupeſcerent, integra mente placidiſſimè animā Deo reddidit anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, & ſalutis humanæ MDXCVII. XI. Cal. Auguſti.

De eiuſdem funere, & quibuſdam alijs. *Cap. XVI.*

STatim atque campanæ percrepare funeſto cæperunt ſono, omnibus in vnum conuolantibus, magnus factus eſt concurſus ad Eccleſiam ſancti Ioannis Euangeliſtæ, vbi cadauer depoſitum erat. Quantus verò horror, & luctus inceſſerit Vrbi, non facilè ego explicarim; ſed ne concipere quidem animis poterunt, niſi quibus hæc videre contigit. Lugebant ciues ereptas ſibi delicias; pauperes complorabant ablatum ſibi parentem; Cardinalium Collegium ſe deſtitutum introſpiciebat optimo Senatore; vniuerſaque Eccleſia decus ſingulare ſe amiſiſſe profitebatur. Non multo poſt fama triſtiſſimi nuncij volauit ad Bononienſes, qui Paſtoris iacturam ægerrimè tulerunt; & ſubita rei cataſtrophe tantus accidit in ciuibus motus, vt priſtinæ formæ vix vllum extaret veſtigium. Quæ paulò antè ciuitas gloriabundam ſuſtinebat perſonam, mox quaſi membris conſternata miſerè iacebat, tanto omnium luctu, vt & ipſi impij mœrere viderentur. Bononiam corpus exenteratum aſportatum eſt; atque in Templi Metropolitani Confeſſione ante Sacellum Chri-

Chriſto è Cruce pendenti dicatum, quod procurantē Palæoto Gregorius XIII. pro fidelium defunctorum ſuffragijs Apoſtolico priuilegio inſigniuerat, humatum abiecto tumulo,parique epitaphio. Lapidi,quemadmodum ipſe iuſſerat, inſcriptum erat. *Hic iacet corpus Gabrielis Palæoti S. R.E. Card. & Archiepiſcopi Bononię primi,cuius anima requieſcat in pace.* Funus quidem ſatis amplum ductum fuit in eodem Templo, in quo compactilis moles vndique ſuccenſis facibus quodammodò animata conſpiciebatur. Parietes omnes quà funeſto amictu cooperiebantur, quà tædis funebribus illuſtrabantur, quà carminibus, elogijs, ac Symbolis ornabantur. Egregiam ad circumfuſum populum,atq; inprimis ad vniuerſos Magiſtratus laudationem habuit Æmilius Luchinus, qui eãdem poſt vnà cum alijs encomijs prælo mandauit. Interim in ſingulorum cordibus erecto Gabrielis virtuti ampliſſimo theatro, nemo non eius conſtantiam in laboribus, in conſultationibus grauitatem, ardentiſſimum in pauperes amorem, ſapientiamque penè diuinam multis efferebat laudibus. Elogia hæc decebant virum egregium, qui in humanis agens, ad vltimas ſe ſemper ex ſolida animi demiſſionę deiecerat, vt exprimeretur in eo, quod eſt in ſacris monumentis nõn ſemel expreſſum; Humilem,nempè,ſpiritu, gloria ſuſceptum iri.

Poſtremæ voluntatis tabulæ prolatæ, ac lectæ fuere coram Federico Borromæo,& Guidone Pepulo, Cardinalibus, & Palæoti mentis executoribus. Hæredem ex aſſe inſtituit Eccleſiam Bononienſem;ac Bibliothecam, quę ingenti ſelectorum librorum numero celebris erat, in ædibus Archiepiſcopalibus expoſitam ad publicum Canonicorum, ac Cleri vſum cuſtodiri

man-

mandauit. Quædam legata ad gratiam referendam atque ad honeſtè collocandas quaſdam pauperes ex Palæota gente puellas, pluraque alia ad alias pias cauſas conſtituit. Sacello Beatiſſimæ Virginis a ſe fundato, quod ſupra memorauimus, omnem penitus ornatum Pontificium, ac præterea candelabra, Crucem, aliaq; vaſa argentea reliquit. Agnatorũ autem nullam habens rationem, quædam tantùm aulæa ad ornãdam hoſpitij aulam fabrefacta Galeatio Nepoti aſſignauit. In quo licet agnoſcere altiſſimam Gabrielis mentem, qui pro ea, qua erat ornatus modeſtia, & pro eo tàm claro, quàm raro exemplo, quo vniuerſo terrarum orbi fulgebat, docuit, neque carni, neque ſanguini ſe acquieuiſſe.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE VITA AC REBVS GESTIS GABRIELIS PALAEOTI

LIBER TERTIVS.

Qua ratione ſe geſſerit Gabriel erga Deum ac cęlites. Cap. I.

IAm verò his ita explicatis, reliquum eſt, vt quædam alia in vitæ curſu prætermiſſa, hoc loco referamus. Et licet omnia primum ſibi vindicare locum videantur, a prima tamen omnium virtutum, hoc eſt, a charitate exordium ſumemus. Cum in ipſis naſcentis Eccleſiæ cunis Paſtorem gregi ſuo præficere Summus Paſtor Chriſtus decreuiſſet, non prius ouium procurationem tradidit Petro, quàm triplici diuinæ charitatis profeſſione obligatam, veluti Sacramento, primi Pontificis fidem accepiſſet. Hanc deinde, tamquàm verum omnium Antiſtitum patrimonium & commendauit Diuus Paulus, & conſtituit Eccleſia Catholica. Eandem non bis, vel ter, ſed perpetuo vitæ tenore profeſſus eſt Cardinalis Palæotus, qui ſacræ precationi, quæ diuini amoris argumentum præclariſſimum eſt, tàm ſedulò incumbebat, præcipue in Epiſcopali dignitate conſtitutus, vt quidquid haberet virium tùm animi,

tùm corporis, diuinarũ rerũ meditationi impenderet. Diu, noctu, in Eccleſijs, in vijs, priuatim, publicè, deambulans, vel ſedens ſemper precari videbatur. Hic porrò rerum cæleſtium guſtus, qui è diuinæ liberalitatis ſinu illi abundè affluebat, eius animum ita affecerat, vt Deum in omni re creata quæreret, nihilue tàm exile, & exiguum illius ſe aſpectui obijceret, in quo aut Dei maieſtas, aut ſapientia, aut cetera attributa ei vltrò non eluceſcerẽt. Dictitare conſueuerat, Epiſcopos eſſe veluti Oratores, quibus frequentandus erat ſæpiſſimè Regis thronus, vt eius volũtatem cognitam, perſpectamque haberent. Somno quattuor, vel quinq; horas concedebat; ceteras ſacroſanctis diuinæ legis myſterijs ponderandis, vel ſacris libris euoluendis inſumebat. Totus erat in Chriſti vitæ, mortiſue meditatione, in qua tamquàm in nitidiſſimo ſpeculo, virtutum omnium documenta introſpiciebat; ac ſexta quaque feria legebat Dominicæ paſſionis hiſtoriam, manantibus vndique lacrymis. Hanc familiaribus ſuis commendatam volebat, veluti redemptionis humanæ coronamentum. Solitudinis illectus dulcedine decem totos dies a negotiorum multitudine inter Cœnobitas, præcipuè Carthuſianos, bis, vel ter ſingulis annis ſe abducebat. Cum ijs in Odæum conuenire; communi accumbere menſæ; de virtutibus ſermonem habere; ac religioſæ vitæ documenta vbique relinquere. In prece vocali, atque in pſalmis concinendis pius æquè, ac ſedulus, horas canonicas, obſeruatis tẽporum momentis, recitare conſueuerat. Nullum agebat diem, quo Beatæ Marię corollæ, & officij precationem non adhiberet; ſeptemq; pſalmos a pœnitentia vocatos non recitaret. Excedit fidem, quì potue-

rit vir ampliſſimis Epiſcopi, & Senatoris muneribus occupatus, tanto animi ardore, & tàm aſſiduo orandi ſtudio quotidie Deo litare. Præmittebat in primis orationem, quæ & mente, & voce fit, longiſſimam; minimas culpas frequenti premebat confeſſione: legebat de libro Thomæ a Kempis, cui *de Imitatione Chriſti*, titulus eſt, caput ante, & poſt ſacrum: in canonis lectione, atque in viuorum, mortuorumque commemoratione graui quadam tarditate procedebat: peracto tandem ſacrificio, ſinu gaudijs completo, agebat quam longiſſimas gratias. Verùm cum ſibi ſuaderet, perſuaderetq; alijs, non ſatis eſſe, Epiſcopum perſępè litare, optimèq; de Euchariſtia ſentire, niſi etiam alios ad eundem cultum inflammaret, ſodalitates auguſtiſſimo Chriſti Corpori conſecratas non in vno, vel altero loco, ſed vbicumque res commodè fieri poſſet, inſtitui curauit. Aliam quoque Societatem erexit, cuius inſtitutum eò in primis ſpectabat, vt eiuſdem alumni periuria, blaſphemias, verbaque obſcæna exemplo, monitionibus, alijſq; pijs artibus tollere conarentur. Inter prima ſui muneris ſtudia illud numerabat, quod in Romanæ Eccleſiæ fide illibata, atque ab omni errore ſemota conſeruanda poſitum eſt. Quapropter ne qui inducerētur errores, neue hæreſis doctrinæ, vel pietatis ſpecie figeret pedem, quàm diligentiſſimè inuigilauit. Cuiuſdam Sophiſtę falſa dogmata odoratus Gabriel in eum egit, inquiſiuitque, ac tandem eò adduxit, vt errores ſuos perfidus agnoſceret, ac deteſtaretur. Egregio autem cultu ferebatur in Archangelum Michaelem Angelorum principem, & acerrimum Eccleſiæ defēſorem; neque minori ſtudio venerabatur Angelum Cuſtodem, cuius opem ſæpiſſimè implorabat; Beatæ verò
Ma-

Mariæ pietatem ab incunabulis hauſerat, & nouis in dies confirmabat documentis. Ex hac in Deum, Cæliteſque pietate oriebatur, vt ieiunia, & ceteras corporis afflictationes duceret ſuauiſſimas. Tertio quoque menſe cùm Bononiæ, tùm Romæ cum ſuis aſſeclis ſeptem Eccleſias obibat; Romanoſque aulicos, nihil ſuſpicere ſolitos, in admirationem trahebat. Per eadem quoque tempora Selymus II. Turcarum Imperator Cyprum deuaſtauerat, ceteras Chriſtianorum inſulas depopulaturus, niſi adfuiſſet humanum, ac diuinum auxilium. Namque pius hoc nomine Quintus, ſingulari quidẽ ſanctimonia celeberrimus, Princepes Chriſtianos ſacro fœdere aduerſus perniciem hanc iungi ſtuduit, eorumque munitus præſidijs glorioſam de catholici nominis hoſte victoriam reportauit. Prępotenti Deo vt repẽderẽtur grates pro tãto beneficio in Eccleſiam collato, publicas, celebreſque ſupplicationes per vniuerſam Diœceſim Palæotus indixit, eaſdemq; in Eccleſia ſua obijt. Pro ſui muneris ſollicitudine, & pro ea pietate, qua S. Petronium venerabatur, diù verſatus eſt in recognoſcendo diuinarum precum officio, quod Maiores ad eiuſdem cultum piè inſtituerant. Quare ad formam, & rationem tùm a Concilio Tridentino iuſſam, tùm a Pio V. recognitam quædam vtiliùs commutauit, nonnulla rectiùs conformauit, plura religioſius addidit; diuinumque Officium abſoluit, quod grauiſſimorum Patrum iudicio Romæ probatum, prælo mox commiſſum, ſingulis annis feſto eiuſdem, & per Octauam a Clero Bononienſi publicè, & priuatim recitatur.

De

De eius liberalitate erga pauperes. Cap. II.

IN toto hoc Opere multa, eaque pręclara liberalitatis exempla memorata eſſe recordor; haud tamen ab inſtituto alienum fuerit, cetera alia hìc referre, vt vel illuſtriora reddantur, vel poſteris maiores ſtimulos addere poſſint. In magna caritatis annona, qua cùm Romani tùm Bononienſes premebantur, enituit Palæoti prolixitas in omne genus hominum. Nullum erat religioſorum cœnobium, nullum monialium conclaue, nullum puellarum aſceterium, cui ab inopia ſubleuando, ſummam non ille opem, non operam collocaret. Famelicæ plebes, extorres, aduenæ, alijq; quos non fames, neceſſitaſue vlla, ſed facilis mendicandi ratio trahebat, ſinum reperiebant, in quo recepti tutiſſimè alerentur. Xenodochia frequenter inuiſebat, & apertis vtriuſq; munificentiæ valuis, humano, diuinoque ſubſidio ijs opitulabatur. Calamitoſos quoſdam homines non modò certis attributis ſumptibus, & ędibus alebat, veſtiebatq;; ſed ſua identidem præſentia, alloquio, miniſtrandi quoq; officio ſolabatur. Stipem roganti dabat, quod quærenti dexteræ ſe ſe offerebat primum; indignum ratus, tàm circumſpectam inire cum miſeris rationem; ne, quod ille aiebat, dum hoſpes eligebatur, hoſpitalitas minueretur. Ab Oeconomo non ſemel eſt àdmonitus, ne in alios nimis effuſus ſibi, ſuiſque deeſſet; verum Deo ille fretus anguſtum eius animum reprehendens, annonam miſeris duplicari iubebat. Subuculas laneas confici, pauperibuſque diſtribui cum iuſſiſſet, iucundum, admirabileque erat, aſpicere primò binos, aut ternos, & quaternos, poſtea

denos,

Digitized by Google

denos, ſeu duodenos, poſtremò plures eodem indumenti genere per plateas procedere, Gabrieliſque magnanimitatem ſummis laudibus efferre.

Quempiam ſi fortè inaudiſſet bonis natalibus virum, a cenſu tamen deiectum, in ſordibus vitam trahere, fidos, ac ſolertes operis adminiſtros immittere conſueuit, qui nocturnis vtentes inſidijs, nullo ſtrepitu opem miſero ferrent. Quærebat quippè tenebras charitati ſuæ; & quandoque idem ſui miniſter, idem teſtis, ſolus cum ſolo beneficium tranſigebat. Quidam vir probus nunciauerat Cardinali, puellam ob egeſtatem paratam eſſe pudicitia fortunam redimere. Commiſeratione hic commotus, collata liberaliter pecunia, eam honeſtè dotauit, rogauitque caſtum hominem, ne, ſi res expoſceret, auribus ſuis parceret. Paulò poſt alias magna laborantes pauperie de proſtitutione cogitare indicauit, elegantem formam in malam famam commutaturas. Continuò detractam auri, atque argenti vim ingentem, non ſelectam, non numeratam in eius ingeſſit manus, vt alienæ conſuleret caſtimoniæ. Excuſanti aliquando huic frequentiam officiorum, quæ pro alijs adhiberet, reſpondit præſtantiſſimus Nicolai imitator; ne, quæſo, *hæc mihi ſubÿcias, cui nihil optabilius contingere poteſt, quam de alÿs benemereri.* Porrò admiratione dignum videbatur, quomodo vnius Cardinalis non ſatis pinguis fortuna tantæ pauperum multitudini, multiſq; ędificijs ſufficere poſſet: Forſitã ſumptuum aliorum, qui ad ſe pertinebant, moderatio ſuſtinere potuit haſce munificentiæ partes, atq; efficere, vt eius nominis immortalitati, non modo mutę ædes, ſed & vocalia erigerentur monimenta. Cauponas ſeriò monuerat, vt ſi fortè ad eos peregrini, paupereſque Sacer-

dotes

dotes diuertiſſent, ad Epiſcopale palatium tranſmitterent, vbi comiter excepti prompta ſtatim omnia habebant, quæ recreando corpori itineris fatigato laboribus domus amica reperire conſueuit. Quæ ipſe beneficentiæ officia præſtare non poterat, per alios fieri curabat. Congregationem, quæ ex nobilibus viris, ac pijs ciuibus coaleſcebat, inſtituit, eamque appellari voluit nomine Infirmariorum. Hæc autem in eam potiſſimum incumbebat curam, vt illorum ſubleuaretur paupertas, qui cum ſe Domi, vt vel puellas, vel ægrotos cuſtodirent, continere cogerentur, victum ſibi, ſuiſque comparare, vel elemoſynas oſtiatim quæritare nequibant.

De Amore Cardinalis Palæoti erga Familiares ægrotos. Cap. III.

VEluti Mater de ſalute filiorum ſollicita, Cardinalis anxius erat, ne quid ægrotantium familiarium vlli deeſſet. Tanta porrò liberalitate, ac diligẽtia curabantur, vt vel conditionis, vel ſuæ domus omninò obliuiſcerentur. Medici, ſerui, pharmaca, reſque pretioſæ, quas vel natura conceſſit, vel ars ad arcendam mortem inuenit, non deerant: ipſeque herus ęgrorum cubilibus aſſidens vultus ſui ſerenitate, quę vel inter mœſtitie nubes emicabat, triſtem animorum caliginem diſpellebat. Accerſebantur præter eos, qui in promptu erant, viri medicę artis peritiſſimi; nihilque intentatum relinquebatur, quod vel infirmorum ſaluti conduceret, vel Palæotę foret contentaneum generoſitati; planè vt ambigendum ſit, felices ne dixerim eos aſſeclas, quibus ęgrotare contigit. Hęc autem

amoris

amoris officia non modò pręſtabantur ijs, qui latera Cardinalis cingebant, verum etiam alijs inferioribus ſeruis, qui non tantum eadem habebantur munificentia,ſed vxoribus, ac filijs alimenta erogabantur, quæ affixus lectulo maritus, paterue ſuppeditare non poſſet. Si conualuiſſent, aliquandiu eos Domi ſine negotio,vel labore morari iubebat,donec priſtinas vires recuperaſſent;poſtea verò quęſita alicuius rei ſpecie, vel aperta recreationis cauſa eos mittebat ad Palęotorum Villas, quę romana planè ſtructura excitatę Muſarum ęquè,ac principum domicilia eſſe poſsũt.Quod ſi poſt longas eiuſmodi curationes,atque tentata liberaliter omnia ęgroto accidiſſet mors, ſacrũ viaticum, animę commendationem, & cetera officia,quibus animam agens confirmari ſolet,ipſe,exequebatur. Ceterum filij,nepoteſue eorum familiarium,qui benemeriti è viuisexceſſiſſent, quandoque Sacerdotijs ornabantur, vt ſatis hac ratione fieret defunctorum meritis,ac virtutibus:ijs verò, qui Eccleſiaſticæ munificentiæ haud capaces erant, tùm congiaria ſępè ampla dabat, tùm alia emolumenta decernebat, numquam benefaciendo ſuis ſatiatus. Hanc clementiam comitabatur par ſeueritas,vbi ſui vitijs inquinati,reperti eſſent. Eos è famulatu dimittens, volebat, Domum ſuam ijs conſtare miniſtris,qui virtutum exemplo populis pręlucerent, eoſque ad honeſtatem amplectendam excitarent.

Animi eius ſubmiſſio. Cap. IV.

NVmquam ſibi placere, numquam ſe laudare, numquam ſe iactare viſus è Gabriel, ſed quan-

tò magis infra alios ſe ſe abijciebat. Eum ſupra vidimus in vtroque iure ad ſtuporem egregium fuiſſe; inter Chriſtiani Areopagi Patres adſcriptum; ad varias infulas deſtinatum; multis litterarum monumentis, ac libris editis cohoneſtatū, Archiepiſcopatu Bononiēſi, & Romana purpura decoratum: tamen inter illos applauſus nihil de ſe ſuperbè ſenſit vnquàm, locutus eſt nihil. Oſtentationis vitium fugiebat; & malebat ignarus potius videri, quàm iactabundus. Contendentibus alijs probare peregrinas opiniones, modeſtè reſpondebat ab ſe eas improbari non poſſe, quamuis contrariæ ſententiæ omninò adhæreret. Hanc animi demiſſionem vt facilius tueretur, exercebat aliquandò ſe ſe in quibuſdam inferioribus miniſterijs. Pauperum pedes præcipue feria quinta in cœna Domini, non modò abluebat linteo præcintus, ſed eximia vultus alacritate, & animi dulcedine iterum, atque iterum oſcula ſuauiſſima eis infigebat. Huius virtutis illectus ſtudio, reiecit initio Maioricenſem Epiſcopatum; creatuſque Bononienſis Epiſcopus, ſanctiſſimorum Præſulum ſecutus exemplum, præclariſſimum eum honorem ab ſe remouere curauit. Neque ex eorum fuit numero, qui cum dignitates inuiti acceperint; in acceptis deinde (quæ humanæ virtutis eſt inconſtantia) ſibi placere paulatim incipiunt, & maiores, omni adhibito conatu, expetere. Nam cum apud ſe perpenderet Chriſti ſponſæ gloriam, ſanctimoniam, venuſtatem, prudentiam, atque ornatum; cum eam animaduerteret ſanctiſſimo Domini cruore fundatam, & ad hunc vſque diem locupletiſſima ornamentorum omnium acceſſione propagatam; tùm verò animi ſui deformitatem, ac cetera vitia expenderet, fiebat, vt vir humillimus

aſſi-

aſſiduis tùm illam, tùm ſe ipſum gemitibus, luctibuſq; proſequeretur. Admonitus ab amicis,aliquid ne prætermitteret aulici moris,quod ei aperire poſſet ad primum honorem ſemitam, atque in Vrbe moras traheret, vbi præſtitis egregiarum virtutum, quibus erat ornatus, quamplurimis argumentis, ad ſe omnium non tàm oculos,quam voluntateſ pertraxiſſet;*nũquam ego*,reſpondit, *optaui Chriſtianæ Reipublicæ clauum tenere.* Laudabat plurimùm facere, & minimùm de ſe loqui, vel ab alijs commendari. Si fortè incidiſſet ſermo de re aliqua,quam multa cum nominis laude ipſe præſtitiſſet, quaſi de extraneo citrà mendacium enarrabat, ſatis conſcius, laudem in ore proprio ſordeſcere, quinimmò egregia facinora,quę patrabat,ac diuina beneficia, quibus in dies cumulabatur, cælare ſtudebat; nempè auream Oratoris illius vocem altè animo conſignarat:Conſcientiam virtuti ſatis amplum theatrum eſſe.Adulatoribus aures omninò claudebat,dictitareque conſueuerat, eorum commendationes eſſe quaſdam ſeù alluſiones, ſeù Principum deluſiones. Iter faciens neque ad cauponas, neque ad Principes, qui hoſpitem cum tota familia recipere ſummopere contendebant, niſi coactus diuertebat. Aiebat enim nõniſi cum humilibus humilitatem ali, facilèque eam corrumpi in rerum ſplendore, & epularum magnificentia; conſeruari verò tutam, illæſamque apud Religioſorum Cœnobia,a quibus diſcedens certam pecuniæ ſummam,hoſpitij memor, liberaliter relinquebat. Cũ aliquando rheda traheretur, ex aurigæ incuria factum eſt,vt equis in fluuium prolapſis, Gabriel nõ modò malè tractaretur, verum etiam vitæ in diſcrimen deduceretur. Ad id ſpectaculi,in quo humanam opem

maxima perciti ira implorabant comites, ſolus Gabriel nullum proferre acerbum verbum, nullam in oculis oſtendere toruitatem. Hoc namque humilibus ſolemne eſt, vt vel iniurijs affecti, vel malè accepti maximopere lætentur; tantùm abeſt, vt iraſcantur.

Iuſtitiæ ac prudentiæ laude floruit. *Cap. V.*

INter eas virtutes, quæ a moribus ſumunt nomen, Iuſtitiam & ad Dei gloriam amplificandam, & ad homines inter ſe concordes conſeruandos, & ad Eccleſiæ tranquillitatem tuendam quammaxime accomodatam coluit. Pauperum cauſas ſummo ſtudio amplectebatur, omniumque vota, ne dicam preces officijs anteuertens, innocentium negotia ſibi adeo credita exiſtimabat, vt nihil magis, quàm fraudibus locum relinqui pertimeſceret. Cum autem non ignoraret, nihil in Antiſtite pernitioſius eſſe, quàm difficilem aditum calamitoſis hominibus præbere, prætérquamquod certos dies ad hanc rem decreuerat, paſſim, & ſingulis non tàm diebus, quàm horis confluentibus vltrò ſe dabat. Inter ſupplices libellos lectitandos, quorum vim, ac rationes diligenter examinabat, ad egenorum miſerias & vultu, & voce, & lacrymis cõmouebatur, perinde ac Chriſtum in ijs aſpiceret. Ex aulicorum comitatu quidam, vti fieri ſolet, exquiſitis artibus modos proponebat colligendæ pecuniæ, cuius inopia in tàm frequẽti eleemoſynarum erogatione, & ædium inſtauratione vt plurimum laborare Epiſcopum neceſſe erat; ac quædam in primis officia venalia facere contendebat. Non modo eum non audiendum putauit, ſed clarè pronunciauit, Eccleſiæ teterius nihil euenire

poſſe,

poſſe, quàm huiuſmodi officia vendere. Comparatum enim eſt natura, vt ipſe dicitabat, huiuſmodi homines non tantum recuperandæ pecuniæ, ſed etiam augendæ, nulla legum habita ratione, animum adijcere. Omnes vt ſe ſe facilius continerent in officio; ac ſuum cuique tribueretur, cauſarum patrocinium ipſe ſuſcipiebat, admittebatque cuiuslibet conditionis homines, cuncta non per fugam, ſed attentè perpendens. Concipiebant iudices non exiguum metum, verentes, ne in aliqua fraude deprehenderentnr ab eo, qui ſe offenſionum vltorem præbebat. Si fortè contigiſſet, aliquem ſceleri debitam pœnam ſoluere; hoc eſt, reuinctis poſt terga manibus quaſſu repetito torqueri; ille lacrymas, voluntarium amoris obſequium, effundebat, ne reus in cruciatu ſolus eſſet. Erogare ſolitus facultates ſuas, minimè ſibi arrogabat pœnas pecuniarias, ſed pauperibus, religioſorumque cœtibus diſtribuebat. Varias nectebat difficultates, cum ageretur de ijs concedendis, quæ Eccleſiaſticis ſanctionibus aliqua ratione repugnare viderentur; eamque opinionem apud omnes ſibi conciliarat, vt fruſtra ab eo quicquam peteretur, quod minus rectum, aut iniquum eſſet.

Iuſtitiam coronabat egregia quædam prudentia, qua duce ad temporum, & perſonarum anguſtias ſuam ita demittebat mentem auguſtam, vt in faſtu, atque exiſtimatione, in qua erat apud omnes, nihil deſiderandum eſſet feſtiuitatis. Cum autem regiminis ratio pro vario rerum ſtatu, multiplex ſit, & obſcura, graues cauſas doctis, probiſque viris proferebat; reuocabatque ad iudicij ttutinam omnia rationum monumenta, vt res rectè ſe ſe haberent. Hæc prudentiæ laus ita Gabrieli congruebat, vt in eo prorſus vigeret

ſpiritus

ſpiritus quidam a natura inſitus, aſſiduoque ſtudio, & rerum tractandarum vſu, quaſi nutricio fotus, & educatus, quo in omnibus, quæ loquebatur, agebatque oculatiſſimus erat; atque optimè cognoſcebat, quid eſſet petenti concedendum, quid negandum. Et quamuis multarum actionum, quas in dies complectebatur, veri quandoque aulicos laterent fines, ad eos tamen ijs ignaris decurrebant; non aliter quam fluuij, qui oculis erepti, & ſub terram reconditi, nihilominus ad mare feruntur. Cuncta licet benignè audiret, non tamen cuncta facilè credebat; & quaſi nouus Alexander aures ita loquenti præbebat, vt ſemper earũ alteram mox dicturo integrã ſeruaret. Adminiſtros, famuloſq; ſuos, quibus temporis longitudo, idemque benè actæ vitæ tenor probitatis opinionẽ pepererant, nullis calumnijs adduci poterat, vt deferendos putaret; ratus multa apud aulas circumferri, quæ ad examẽ poſt deducta, ficta omninò reperiuntur. Cum autem prudentiæ munus ſit præcipuum, ceteris animi virtutibus imperitare, eaſque tanquàm familiam optimè ordinatam regere, tantus erat in eo ornamentorum omnium concẽtus, vt rerum viciſſitudo cum ratione, cum hilaritate ſeueritas, humanitas cum maieſtate, quaſi cum acutis grauia, vt accidit in fidibus, mira quadam proportione concordarent.

Quanta viguerit animi conſtantia. Cap. VI.

NOn hìc eam roboris, & virium confidentiam intelligo, quæ plerumque veriùs furor, & inſania, quàm fortitudo vocari deberet; ſed quandam excelſi, inuictique alitudinem animi, quæ nec nimio auſu præceps,

ceps,nec timore vecors, pro honeſtate, & decoro pugnat,& pro ijs periclitari non veretur. Hac igitur virtute munitus Cardinalis Palæotus nec ſecundarum inſolentia rerum diffluere, aut inaniter efferri, neque vllis aduerſis frangi vnquam viſus eſt; ſed feſtina maturitate difficillimas prouincias ſuſcipiens, nihil aggrediebatur, quod non conficeret, nihilque conficiebat, quod non ſtabiliret, perpetuumque redderet. Quibus in rebus, ne impingeret in aliquem ſcopulum, qui rectæ gubernandi rationi multo impedimento eſſe ſolet, intactas, illibataſque ſeruabat a muneribus, hoc eſt, ab humanæ vitæ corruptelis, manus;æquitatem conſectabatur, fortem ſe exhibebat in arduis, diligentem in implicatis, in diuturnis conſtantem, in omnibus integrum,atque ſapientem.Ad Epiſcopos in primis ſpectare arbitrabatur, Eccleſiaſtica iura defendere,ac conſeruare, grauiterque peccare eos, qui hac in re vel negligentes eſſent, vel nimis timidi. Violauerat ius Eccleſiæ vir quidam,cuius nomen ſilentio libenter premo, nulliſque monitis adduci poterat, vt deteſtaretur rem Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſam,ſatiſue Eccleſiæ,cuius vindex iuſtiſſimus eſt Deus, faceret.A piorum eum communione ſeiunxit Gabriel anathematis gladio,cuius non pudebat infelicē hominē,quinimmò eam penā floccifacere videbatur. Conſcientiæ tandem ſtimulus,qui perennibus timoris ictibus ſollicitat animum culpæ obnoxium,& Cardinalis dignitas in honore ab omnibus habita reum eò deduxerunt, vt vltro conueniret animaduerſorem,& humī abiectus veniam poſceret, & abſolutionē. Eccleſiaſtici propugnator iuris quàm magnam iniuriam feciſſet ille Deo, & Eccleſiæ, grauiſſima proponens oratione,

& in

& in malo pertinaciam acriter reprehendens,impoſita ſalutari pœnitentia, adhibitis conſuetis ritibus, publicè abſolutum ad Chriſtianorum conſortium admiſit. Vbi huiuſmodi ſe ſe offerrent rerum momenta , vir alioquì multæ lenitatis,ingentem ſumebat animum,ac ſibi perſuadebat, demiſſionem, ac benignitatem eſſe debere ſine violatione iuſtitiæ ; de ſe , rebuſque ſuis poſſe aliquid remittere, de ſponſæ ornatu, atque iuriſdictione nihil.

Idem præſtabat, cùm agebatur de infringenda alicuius audacia, vel de comprimenda deperditorum hominum inſolentia. Ratiocinabatur enim cum Diuo Cypriano, imperitum eſſe eum medicum, qui tumentes vulnerum ſinus manu,parcente contrectat,& virus incluſum ſeruat; eum verò dignum laude reputabat, qui vulnus aperit,ac ſecat,putredinemque vniuerſam tollit, vociferetur, & clamet licet ægrotus . Clericus quidam, qui in ſatis honeſto Diœceſis Bononienſis Oppido, primaria eius loci præfectura ornatus erat, vitam (vt humanæ conditionis imbecillitas eſſe ſolet) indignam ſtatu, dignitate, & accolis, amiſſo pudore, degebat. Illum ad ſe euocat Gabriel, & beneuolentia comprehenſum, arbitris aliquando remotis, nonnunquam adhibitis, hac tandem ratione interpellat: *Oro,* inquit, *atque obſecro te, vt quãto in diſcrimine æterna damnationis verſeris,etiam, atque etiam videas; & mores in melius commutes. Denuncio, quas peccandi occaſiones ouibus tibi commiſſis tuo exemplo obtuleris, & quas allaturus ſis in dies,ni tale conſilium abijcias viuendi. Proinde tecum intenta cura perpende, maliſue te ipſum perdere, & tua Eccleſiæ maximo eſſe damno, an ab hac vita deſiſtere. Non parcam auribus tuis.Valeat apud te ſalutis tuæ ratio,cui ſi ad verita-*

tis

tis oblatam tibi diuinitus lucem pietatis Chriſtianæ facem prætuleris,non dubito, quin Deus tibi omnibus in rebus ſit affuturus. Si res aliter ſe ſe habuerit, non feram, non ſinam, non patiar,te impunè viuere. Tui deprauati mores vehementer me excruciant; tuam ſalutem fero in oculis: fac, vt haud incaſſum ſit adhibita hortatio,verè paterna. Secus adhibenda erit grauior correctio. Huiuſmodi officijs fruſtra exceptum, cum ſecum Gabriel agitaret, turpe admodum eſſe, Clericos, qui alios ad virtutem excitare, innocentiamque docere tenentur, ſceleſtam vitam agere, a præfecturæ adminiſtratione, altero in eius locum ſubrogato,ſuſpẽſum declarauit. Ex hac remotione multus tùm apud gregarios homines, tùm apud quoſdam patritios factus eſt motus; at eorum contumaciam, quæ cum prohiberetur, plura audebat,nimia facilitate curare fortiter recuſauit.

Sed illud quoque in hoc genere memorabile circumfertur. Sub id temporis, quo in Vrbe Sixti V. iuſſu commorabatur, cum liberum ſe, ac fidelem conſiliarium præſtare vellet, aliquam in ſe Pontificis indignationem concitauit. Cum enim quoſdam Cameræ Clericos ſacrum in Senatum legere Sixtus propoſuiſſet, vt eorum officiorum pecunijs ærarium ditaretur, communicato conſilio, vt fieri ſolet, cum Cardinalibus, ea de re omnium ſententiam rogauit, quæ cum ex ordine dicenda eſſet Palæoto, is ſenatoria libertate reſpõdit ferè in hæc verba. *Tanta eſt, Beatiſſime Pater, Romanæ purpuræ maieſtas, vt ea cohoneſtati Apoſtolorum perſonam omnino repreſentare debeant, ac ſuſtinere. Quare quinam ad eam dignitatem aſſumantur, etiam, atque etiam videndum. Purpura non bonis extimis, ſed animi virtutibus coloratur. Cardinales ad diuitiarum ſplendo-*

rem addere debent virtutis lucem. Electio hominum, qui nonniſi auri fulgore noti ſunt, & graui catholicæ religioni periculo, & ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ parum honorifica eſſe videtur. In ea incidimus tempora, quibus Petri nauis plurimis agitatur hæreſum fluctibus. Cauendum, ne in ſcopulos magis, ac magis impingat; atque in eam curam incumbendum, ne arma hæreticis ſuppeditentur, quibus Eccleſia Catholica impugnetur. His dictis commotus Pontifex Gabrielis ſententiam reiecit, conceptoſq; Cardinales creauit. Scindebantur interim animi, varijſq; diſcrepabant ſententijs, atq; dictis. Pars probare quidem, & laudare conſtantiam, roburq; Cardinalis; pars requirere maiorem verborum ſuauitatem, qua res magis condiretur: Pars, ideſt plebs tota, celebrare Palæotum, tamquàm verum Senatorem. At domeſtici, & propinqui detrimenti alicuius metu angebantur ferè omnes, quale ſemel inuiſæ Principibus familiæ, haud ſecus, quàm hæreditaria mala, in longum ſentire conſueuerunt. Porrò vniuerſi timebant, ne ea libertate ſibi ad ſupremam aditum dignitatem omninò clauderet. At Cardinalis, non ſecus ac palmarum rami, qui grauiori pondere inflexi validius reſurgũt, ad reliquas ſui muneris explendas partes alacrior, & conſtantior proceſſit; neq; amicorum monitis, aut ſuorum precibus, ac lacrymis adduci vnquàm potuit, vt libertatem illam in dicenda ſententia deſereret, quòd arctiſſimis ſe ad id religionis, & iuſtitiæ vinculis obſtrictum diceret, a quibus ſolui nefas iudicaret. Quid enim turpius, quid Reipublicæ pernicioſius, quàm videre Senatorem elinguem in re grauiſſima, quæ dedecus Eccleſiæ aliquando eſſet allatura? Hæc vna ratio fuit Gabrieli, vt aliquot ſibi oblatrantes in aula parui faceret, quòd dice-

dicerent eum crebris contradictionibus nihil proficere,immò frangere, ac labefactare quicquid in eo auctoritatis foret. Nam eos prorſus ignorare Cardinalitij muneris vim, & momenta aiebat; neq; quod vulgò credebant,ſe Pontifici verè Maximo, ac ſapientiſſimo contradicere, ſi res accuratius introſpiceretur; idem ſe cum eo ſpectare; non idem quandoq; ſentire: vnum bonum vtriq; propoſitum,& auidiſſimè expetitum, ſed eaſdem, quæ illuc ducerent, vias vtrique aliquando non æquè probari. Hoc in Athenienſi,hoc in Romana Republica magnis viris non infrequenter accidiſſe; vt ſummo conſenſu in bonum publicum conſpirarent,in ratione verò illius procurandi inter ſe opinionibus diſſentirent. Non raro tamen cum Sixto Palæotus in eandem conuenit ſententiam, præſertim verò in celebri XXII. Cardinalium conuentu, vbi cum de re omnium maxima ageretur, præclariſſimam ille ſententiam, ac de more liberam dixit, quam ita probauit Pontifex, vt litteris aureis in aula deſcribendam publicè pronuntiarit. Quamobrem tantùm abeſt, vt in poſterum ſe abſtineret a priſtina in Senatu loquendi ratione, vt cogitationem potius omnem traduxerit ad Opus conſcribendum, in quo varia tractarentur argumenta, quæ ad Senatoris partes rectè, ac fortiter explendas ſpectare poſſent. Tandem hoc in genere tàm multa,eaq;luculenta collegit,ac dictauit,vt in Volumen excreuerint,quod modo extat,*De ſacri Conſiſtorij conſultationibus* inſcriptum.

Vita eius quotidiana. *Cap. VII.*

HAuſerat animo,atq; in ſe ipſo exprimere ſatagebat Epiſcopalis vitæ imaginem, quam Diuus Hieronymus efformauit illis verbis. Tanta debet eſſe conuerſatio Pontificis, vt omnes motus, & greſſus, & vniuerſa eius opera ſint notabilia, atq; quicquid agit, doctrina ſit populorum. Tot erant præcones Palæotę virtutis, quot erant Gabrielis actiones. Quinis horis ſomno conceſſis, tantò ante lucem exurgebat, vt tres, vel ſaltem duæ horæ precibus, litterarumq; ſtudijs tribuendæ ſupereſſent. Sole exoriente, Matutinum, & quaſdam diurnas horas, paruumq; Beatæ Mariæ Virginis Officium recitabat, quibus ſemper addebat precationem,quam vocant, coronam, & Officium defunctorum. Pia deinde tùm confeſſione, tùm lectione ad rem diuinam faciendam ſingulari ſe preparabat ſtudio.Confecto ſacro,actiſque gratijs multum temporis vel in audiendis populis, vel in congregationibus habendis,vel in ægrotis ope,& aſpectu iuuandis inſumebat. Poſt hæc prandium inſtituebatur victu non ſolum moderato,ſed tàm exiguo, vt non tam abijceret ſuperuacanea,quàm neceſſaria ſubtraheret.Accumbenti ſacram perpetuò voluit ſibi adhiberi lectionem. Lectoris munus viciſſim exercebant quidam è domeſticis,& aſſeclis. Finito prandio inſerebatur ſermo vel de aliqua ſacrarum paginarum hiſtoria, vel de quęſtione ad mores ſpectante, vel de dubijs rerum euétibus,in quibus citra oſtentationem,Cardinalis ipſe,aſſeclæ,aduenæ, & ceteri huiuſmodi rerum periti ſenſa ſua proferebant. Ceterum herus feſtiuitate conditior honeſtis

con-

conſulto tempore iocis ita aſpergebat ſermonem omnem, vt vniuerſa eius dictio ſal merum exiſtimaretur. Poſt hăc animi relaxationem in cubiculum ſe recipiebat, vt lectioni, ac ſcriptioni vacaret. Reliqua diei parte facilem, ac promptum ſe vltro offerebat ad excipienda confluentium negotia, & ad legendos ſupplices eorum libellos. Peracta cæna habebantur ijdem ſermones, qui poſt prădium, vt hac ratione omnis tolleretur detrahendi occaſio. Veſperi antequam cubitum iretur, vniuerſos domeſticos ad excutienda cogitata, dicta, & facta, ad Beatæ Virginis litanias recitandas. & ad luſtralis aquæ aſperginem recipiendam conuocabat. Aqua aſperſi, ſilentij lege indicta, ſe ad quietem quamprimùm recipiebant. Eodem ferè inſtituto, omnia ſe ſe habebant diebus feſtis, ſi quædā exceperis Orta luce Eccleſiam adibat, chorum frequentabat, multorum confeſſiones excipiebat, quandoq; concionabatur; & è ſacra menſa quamplurimos ſacra dape reficiebat. Prandio modicè ſumpto, pueros, ignauoſq; homines Chriſtiana catecheſi inſtituere accuratè ſtudebat; puerorū diſputationibus intererat; ijſq; qui ceteris antecellere viderentur, quædam munuſcula largiebatur. Præfectos ad capeſcenda illa ſtudia, & ad veterem plebis inſtruendæ cōſuetudinem reſtituendam, alios verò ad percipienda Chriſtianæ doctrinæ vel elementa, vel documenta verbis grauiſſimis hortabatur.

Sed hæc Domi, & in ſede ſua. Aliud vitæ genus erat ei traducendum tùm in Viſitationibus, tùm in ceteris itineribus. Rem diuinam ſummo mane faciebat. Tota ferè die, & nonnunquam ad multam noctem rectæ ferè omnium Sacramentorum adminiſtrationi, dirimendis

litibus,

litibus,ac negotijs audiendis incumbebat. Quandoq; in Eccleſijs, ſacriſque hominibus viſitandis occupatus obliuiſcebatur conſueti alimenti. Ne multa: totus erat in extirpando vitio apud multos vigente. Cum grauiſſimo Tridentini Concilij decreto cautum ſit, vt tertio quoque anno Epiſcopi Apoſtolorum limina ſalutent, eamq; lucem cominus venerentur, qua totus terrarum orbis coruſcat, Gabriel huiuſmodi itineris inſtituendi rationem eis commonſtrabat. Officia, & certamina Principum, aliorumque, qui eum quaſi parentem excipere, ac detinere conabantur, vitare conſueuerat; nihil virtuti contrarium conniuere; nullamq; pietatis in comitum pectoribus ſerendæ occaſionem prætermittere viſus eſt. Tempus Romæ a negotijs vacuum inſumebat in viſendis, ac debita veneratione proſequendis locis pijs, iufixoque oſculo ſacro pedi Summi Pontificis coronas precatorias, ſacras ex ære imagines, cerea agni cæleſtis ſimulacra, atque huiuſmodi Indulgētiarum munera pro Eccleſia Bononienſi quærebat, præterea nihil.

Innocentia eius, & modeſtia. Cap. VIII.

PVlcherrimum caſtimoniæ florem per totum vitæ decurſum (vt omnium erat firma, conſtanſque opinio) conſeruauit tanto animi, corporiſue candore, vt de ipſa pudicitia loqui (quod pudicis maximè ſolemne eſt) quodammodo erubeſceret. Porrò mulierem aliquam alloquuturus, in Eccleſia, vel in loco aperto id faciebat, alióque obtutum defigebat. Cachinnos, riſum immoderatum, nugas, irriſioneſque quaslibet tùm in ſe ipſo, tùm in alijs maximoperè abhorruit

horruit. Geſtus fuit ei gratia conditus ſine mollitie, grauis ſine tarditate, & ſine turbulentia ſeuerus. Nubecula nunquam viſa eſt in eius ſupercilio, nunquam vel in oculis toruitas, ſed omnia tranquilla, & Cælo, dum ſudum eſt, valde ſimilia. Si iocum aliquem adhiberet, ſapientia condiebat; ratus meras nugas in Sacerdotis ore blaſphemias eſſe. Hanc totius corporis moderationem ſequebatur animi grauitas, quæ eum ad vanitatis elationem fugiendam mirum in modum componebat. Nulla vnquam rerum ſecundarum inſolentia elatus, nullo populi applauſu è ſtatu mentis eiectus; nulla Senatoriæ conſtantiæ fama apud multos de ſe ſparſa diffuſus; nullaque potentiorum amicitia ſuperbus. In loquendo verò (quod difficillimum eſſe omnes ſapientes tradidere) adeo cautus, vt nullum verbum, niſi ad examen deductum proferret. Nullis verborum ambitibus perplexis vtebatur, nulla amplificandi, nulla diminuendi arte, ſed omnia nuda exponebat. Nullo labore verba inueniebat, quæ vel rei granditatem, vel exiguitatem exprimerent. Exactam alienæ famæ rationem habebat, repellens, & obiurgans maledicos, ac ſuſſurrones. Conſueuerat quoque eos vitare, qui vel de corrigendis Principum moribus, vel de cœtibus religioſorum reformandis, vel de priuatis hominibus impunè peccantibus temerè loquerentur. Eorum caſibus dictitabat ceteros homines erudiendos, optimũq; eſſe, alieno diſcere periculo. Mentiri verò, atque iurare omninò ignorauit. Lites, ac contentiones Præſule indignas eſſe cum Apoſtolo exiſtimabat, ac proinde in omni diſputatione tollebat certamen, ac pertinacem vincendi cupiditatem. Nihil erat in eo plebeium, nihil populare, nihil commune

cum

cum ſtudio,atque vſu,& moribus populi. Nō exequat eius conſtantiam in ſuſcepto virtutis propoſito. Plerique ſpeciem virtutis laudāt, ſed quandoque voluptatis trahuntur lenocinio.Nonnulli venenum ore conceptum reijciunt, ad meliorem frugem ſe vertentes; verum Gabriel quod modeſtiæ, pietatis,ac religionis inſtitutum puer amplexus erat, idē eodem ſemper tenore retinuit.Ceterū crimen nullū(quod apud cordatos viros plurimi æſtimandū eſt) ſiue verū,ſiuè falſum ei vnquam impoſitum fuit; ſed omnes,ij etiam,qui obiurgatione, vel pœna ab eo fuerant notati, conſcientia victi, eum apertum hominem, ingenuum, decori tenacem, pium,& verum Epiſcopum commendabant.Vrbs Roma omnium rerum gnara,Palæoti ſtudia internoſcens, eum cum antiquis Epiſcopis comparabat.

AEdificia, & alia magnificentiæ monumenta. Cap. IX.

BOnonienſis D. Petri Baſilica varijs temporum, aliarumque calamitatum iniurijs expoſita nunquam eundem ſtatum retinnit,& formam. Namq;modò arſit; aliquando terræmotu ex parte corruit; nonnunquàm Campanario, teſtudine, & porticu ornata; ſæpius conſecrata,& ſacris reliquijs,alijſque donis per Summos Pontifices ditata.Cum autem Rainutius Farneſius Cardinalis,Bononiæ Epiſcopus,& Pauli III. nepos, pro inſita animo liberalitate de eadē inſtauranda cogitationes ſeriò ſuſceptas immatura morte ereptus perficere nō potuiſſet,Gabriel ſubrogatus eam iam vetuſtate obſoleſcentem reficere inſtitit,ingentibuſq; innixam

nixam

nixam ſubſtructionibus romano faſtu erexit. Eam moſitionem deſcribit Sigonius, nobilis Hiſtoricus, his verbis. *Vrbanę Baſilicæ Chorum magnifico, atque egregio adeò opere Cardinalis Palæotus inſtaurauit, vt qui ingentes illius columnas, ac celſam teſtudinem picturis egregijs, atque auro vndique perpolitam attendat, facilè cum nobiliſſimo quoque veterum ædificio comparet.* Confeſſionem verò ſubſtruxit magnificentiſſimam, eam ſanctorum imaginibus decorauit, pretioſaque ſuppellectili ditauit. Sacellum, quod principem tenet locum, vario diſtinctum marmore extruxit, atque in eo collocauit Reliquias ſanctorum Vitalis, & Agricolæ, quas diligentiſſimè recognitas ab alio altari ſitu, & ſquallore obſito cum omnibus Ordinibus, Vrbe ipſa efflagitante, præmiſſo ieiunio, indictiſque ſupplicationibus celeberrima pompa tranſtulit.

Idem Cardinalis Palæotus, moderatus ille ſecũ, & reſtricti moris auctor erga delicias mortales, nobiliſſima in publicum magnificẽtia Epiſcoporum palatium ita renouauit, vt nõ immerito in eius fronte legamus: *Domine dilexi decorem Domus tuæ.* Plures in longum habet porticus, cænationes laqueatas, & cubicula multa, non tàm ad ſpeciem, & ornatum, quam ad cõmoditatem, & vſum opportuna. Aula in primis conſurgit ampliſſima, in qua ſimul delectat oculos pulchritudo, ac ſimul animos quodammodo terret immenſitas, in qua imagines Epiſcoporum Bononienſium, ac Diui Petri geſta accuratè pingi curauit, Ciuitatemque, ac Diœceſim vniuerſam, quarum procurationem ſibi commiſſam non obliuiſcebatur, in quibuſdam tabulis ad viuum exprimi iuſſit.

Vetuſtiſſimum Templum Epiſcopij Sabinenſis, cui

nil aliud præter Eccleſiæ nomen reliquum erat, inſtaurauit, ad priſtinum cultum redegit, præclaris inſtruxit ornamentis, quibus aræ veſtirentur, picturis exornauit; ac poſteris conſulens Cęnobium refecit, quod Religioſis S. Franciſci, qui Reformati dicuntur, permittente Summo Pontifice, commendatum eſt. Augendæ ſacræ Camaldulenſium apud Bononiam Eremi ſtudioſus aliquot ædes conſtruxit, in quibus ſacras quandoque obibat exercitationes. Ædes quoque Canonicorum, ac Epiſcopalium prædiorum domos collabentes multo ſumptu reparauit. Tanto fuit auxilio præclaro illi Bononienſium pietatis monumento, quod Mendicantium Xenodochium vocant, vt eius potius fundator, quàm inſtaurator iure merito appelletur. Namq; præter erogatas munificè in eum locum pecunias, tàm ordinatam, atque incorruptam in illo formauit diſciplinam, vt innumeri ferè omnis ætatis & ſexus homines, aptis diſtincti tùm conclauibus, tùm miniſterijs, tùm laboribus, negotioſæ Ciuitatis, & optimè inſtitutę Reipublicæ imaginem repræſentent. Eidem Cardinali tamquam optimo parenti, acceptam referunt Bononienſes Catechumenorum, & Neophytorum domum, vbi pueri, puellæque Chriſtianam Religionem ſuſcipientes aluntur, catholicæque doctrinæ præceptis informantur. Alias quoque ædes tùm apud mulierum pœnitentium conclaue, tùm alibi, quas longum eſſet commemorare, vel excitauit, vel ſaltem inſtaurauit.

Prin-

Principes tùm ſacros, tùm profanos, alioſque multos hoſpitio recipit. Cap. X.

ECcleſiæ Principes, ceteroſque Magiſtratus hoſpitio libenter recipiebat, præcipue ſi ij vel auctoritate, vel gratia, vel conſilio ornandis, augendiſque Eccleſiæ rebus opem aliquam ferre potuiſſent. Omni eos, eorumque aulicos, officiorum genere excolebat, atque cum ijſdem obſequia, & merita proſeminabat in longum, vt ad tuendum, amplificandũque Archiepiſcopatus ſui ſtatum omnia ſecundiora habere poſſet. Regia plane magnificentia accepit inclytos Duces Octauium Farneſium, & Franciſcum Mariam Feltrium, idemque hoſpitium liberaliter dedit Moſcouitarum Legatis ab Antonio Poſſeuino ad Gregoriũ XIII. deductis. Tanta autem erat Cardinalis erga Sedem Apoſtolicam pietas, vt eo etiam abſente, cum Epiſcopalis, tùm Palæota Domus ſemper patuerit præcipuè Epiſcopis, qui è Gallia, Hiſpania, Germania, & Polonia, alijſque remotioribus terrarum oris Romam proficiſcerentur, ceteriſque Pontificis adminiſtris, qui Bononiam attingerent. Eandem beneficentiæ partem exercebat cum ijs, qui hæreſeos labem fugiẽtes in Italiam, tamquàm ad fidei catholicæ ſedem, & propugnaculum, veniebant. In ijs fuere multi Angli, qui cum viderent eam in patria luem valde graſſari, nullumque fere locum relinqui fidei conſeruandæ, confugiebant ad celebratæ liberalitatis Cardinalem, qui haud immemor beneficiorum, quæ ex Angliæ regno Vincentius Palæotus acceperat, humaniſſimè eos excipiebat, ac pro muneris ſui dignitate munificè tractabat. Lon-

gum eſſet ſingulorum nomina percenſere; quoſdam tantum referam viros illuſtri genere ortos, nempe Gulielmum Alanum, qui a Sixto V. procurante Gabriele, in Cardinalium numerum relatus eſt; Audœnum Ludouicum ab eodem Pontifice Caſſani Epiſcopum creatum; Frãciſcum Inglefeld intimum Scotorum Reginæ conſiliarium; Ricardum Nortonum equeſtri dignitate, opibus, atque applauſu conſpicuum, qui dum Vicecomes Eboracenſis fidem catholicam regio imperio oppugnatam totis viribus defenderet, liberis, fortunæ bonis, ac dignitate ſpoliatus Romam cum Heliſabeth filia confugerat. Hæc autem, mortuo iam parẽte, cum in Angliam rediјſſet, indeq. in Gallias profecta fuiſſet, per litteras Angliæ ſtatum, & calamitates, quas ipſa pro catholica religione paſſa fuerat, Cardinalis Palæoti oculis ſubijcere, eiuſque opem, & operam implorare cõſueuerat. *Quantis*, latinè ſcribit, *vexetur moleſtijs noſtra miſerrima Anglia, quantis perſecutionum procellis premantur Catholici, quantus ſit ob fidem Orthodoxam profugorum numerus, non dubito, quin tua Dominatio intellexerit, & frequens Anglorum copia Romam euntium, & redeuntium, qui tuas ampliſſimas ædes penè quotidie, vbi benigniſſimè tractantur, & reficiuntur, inuiſunt, fusè teſtati fuerint.* Hæc illa.

De Cardinalis corporis forma. Cap. XI.

Statura fuit formoſa, non tamen magno corpore, ſed in quo partes omnes cum lepore conſentiebant. In vultu dignitas eminebat, & maieſtas viro Principe digna. Naſus in extremo nonnihil aquilinus: Oculi cæſij ſuaui aſpectu, & modeſto, quibus ita vali-

dis, & acutis vſus eſt, vt ſex circiter menſes ante obitum vix conſpicilio indiguerit. Supercilia amabilitate ſimul, & quodam terrore temperata permouendis ad venerationem animis omnino apta erant. Auditu adeò præſtitit, vt quod optimè compoſiti animi indicium non leue iudicatur, numeris, concentibuſque muſicis mirificè delectaretur. Dentes aliquot amiſit, pituita ob minios ſtudiorum labores redundante. Lingua tamen illi ſoluta, non hæſitans, vocis ſonus grauis, & permanens. manibus, pedibuſque ad extremum vſque ſenectutis tempus perfectè valuit. Sua manu plura ſcribebat, quàm dictaret. Libétiſſime ibat pedibus, vt ſœpius comites iuuenes, ac robuſtos laſſaret. Barbæ, quæ tota iam caneſcebat, nullus ferè cultus. Ceteræ ſenectutis ægritudines procul ab illo ſene, qui virilem ætatem tranſigere videbatur. Sine vllo ferè valetudinis incommodo proſperè vigebat, tùm ob eam moderationē, quam in victus ratione perpetuo tenuit, tùm propter illud puriſſimum caſtimoniæ decus, quod omnes in illo cum admiratione prædicabāt; quas duas res ad ſanitatē tuendam, & ad vires corporis ſartas, tectaſque conſeruandas plurimùm valere compertum eſt. Ijs nempe virtutibus valentior ad præſtantiſſimas virtutes comparandas, atque ad ſanitatem tuendam illius exurgebat animus, & per corporis, mentiſque labores religioſè exantlatos ingenitus mentis candor ſecuriùs retinebatur.

Non-


Nonnullorum teſtimonia de Cardinalis Palæoti virtutibus. Cap. XII.

QVanto in honore apud Sedem Apoſtolicam fuerit Cardinalis Palæotus, tùm ex muneribus ei commiſſis, tùm ex dignitatibus in eum collatis, tùm ex varijs ſummorum Pontificum laudibus illi tributis ſatis conſtare videtur. Nullum inueniret finem hoc poſtremum caput, ſi elogia illa in medium afferre vellem. Pro ea, qua erat erga Romanam Eccleſiam veneratione, cuiuslibet minimæ rei facultatem expoſtulare ſolebat, diplomataque conſequebatur, in quibus Palæoti prudentia, ſapientia, iuſtitia, in rebus agendis dexteritas, ceteraque eius ornamenta ſingulari quodam dicendi genere commendabantur. Multa quoque extant Diui Caroli teſtimonia, quæ eidem Palæoto multum tribuunt, ac præcipue illud. *Illuſtriſſimi Cardinalis Palæoti, qui pro eo quo tenetur amplificandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſiderio, ad ſolemnem tranſlationem, litteris noſtris, inuitatus ampliſſima auctoritate ſua, & virtutum maximarum, quæ in eo elucent, ſplendore illam colluſtrauit, ſingulari pietate commoti.* Ripamontius Mediolanenſis, non ignobilis patriæ hiſtoriæ ſcriptor, dum Federicum Borromæum a ſancto Carolo Bononiam ſtudiorum cauſa mitti deſcribit; *Et erat*, inquit, *ibi Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Vrbis tùm intima cum D. Caroli familiaritate coniunctus, tùm nomini, gentique Borromæorum obſtrictus maximi beneficij memoria, quod in Collegium a Pio IV. per ipſius maximè D. Caroli commẽdationem cooptatus fuiſſet.* Luchinus iuris vtriuſque peritus in oratione de laudibus Gabrielis impreſ-

ſa,

ſa, hæc habet: *In quibus tractandis, & adimplendis muneribus tanta ſemper, & tàm vigili cura ad extremum vſque vitæ terminum laborauit, vt dici verè poſſet, ſi vllus vnquam talenta hæc diuinitus attributa in bonæ frugis multiplicationem collocauit; hunc mirè in huiuſcemodi genere profeciſſe. Cuius rei hoc præ ceteris argumentum coruſcabat, quod illud totius Cleri præſtantiſſimum iubar, Carolum dico, in omni opere, cogitatione, & actu ſibi propoſuerat imitandum.* Quibus verbis proſequar neceſſitudinem multarum virtutum radicibus innixam, quæ inter ſanctum Philippum Nerium, & Palæotum intercedebat? Eo ad ſacras confeſſiones vtebatur, eiuſque cauſa librum *de Bono ſenectutis* euulgauit. Infinitus ſim, ſi omnia carmina, elogia, ceteraque huiuſmodi litterarum monumenta, quæ in laudem Cardinalis conſcripta apud Palæotos aſſeruantur, coner recenſere. Celebrabuntur illa ab alijs, & omnium gentium litteris comprehenſa ad eius nominis laudem ſempiternam, omnem poſteritatis memoriam adæquabunt. Et ego fortaſſe aliquando vberius otium adeptus, & melioribus, quàm nunc ſum, incolumitatis, & litterarum præſidijs inſtructus, rerum ab eo præclarè, feliciterque geſtarum ampliorem hiſtoriam conſcribam.

FINIS LIBRI TERTII.



INDEX
CAPITVM
PRIMI LIBRI.

GAbrielis genus. cap. 1. *pag.* 1.
*Gabrielis ortus,& educatio.cap.*2. *p.*6.
*Doctoris inſignia conſecutus iuriſprudentiam publicè profitetur.cap.*3.*p.*10
*Eius temperantia, & caſtimonia. cap.*4. *pag.* 11.
*Piæ eius peregrinationes, &c. cap.*5. *p.*13
*Vaſionenſem Legationem, & Maioricenſem Epiſcopatum recuſat:Romanæ Rotæ Auditor conſtituitur.cap.*8. *p.*17.
A Pio IV. mittitur ad Concilium Trid. cap. 7. *p.*19
*Abſoluto Concilio Romam reuerſus vtilem Eccleſiæ Romanæ operam nauat.cap.*8. *p.*22.
*Cardinalis creatur,atque vt ſe geſſerit in ea dignitate.cap.*9. *pag.* 24.
*De Senatoria ipſius in dicenda ſententia libertate.c.*10.*p.*27
*Sacris in Comitijs Pium V.creari procurat.cap.*11. *p.*30.
*A Pio V.Bononienſis Epiſcopus creatur.cap.*12. *p.*32
*Lapſos Eccleſiæ ſuæ mores reſtituit, ac ſacroſanctum Concil. Trid. in vſum inducit. cap.*13. *p.*35
Domeſtica eius diſciplina. cap. 14. *p.*39
*Quales Vicarios,ac viros Conſilij cauſa adhiberet.c.*15.*p.*41

De prima Ciuitatis, ac Diœceſis Viſitatione, ac de Vicarijs Foraneis conſtitutis. cap. 16. p.44
De prima Diœceſana Synodo, & de ſcholis Chriſtianæ Doctrinæ. 17. p.46
Diſquirit in eos, qui vel ad ordines, vel ad beneficia promonebantur. Prædicationis, & correctionis munera exequitur cap. 18. p. 49

Libri Secundi.

Seminarium Bononiæ excitat. cap. 1. pag. 54
Varijs inſtitutis orationum generibus, multis erectis ſodalitatibus; Cleri diſciplina reſtituta ſuum Deo cultum deferri procurat. cap. 2. p. 56
Sanctimonialium cœtibus inuigilat. cap. 3. p. 59
Iubilaum celebrat. cap. 4. p. 60
Quid egerit temporibus, quibus vel annonæ caritas ingraueſcebat, vel Epidemiæ lues graſſabatur. cap. 5. p. 63
Gabriel Mediolanum, & Auguſtam Taurinorum proficiſcitur vocatus a D. Carolo, a quo multis cumulabatur beneficijs. cap. 6. p. 67
Gregorius XIII. Gabrielem pronunciat Archiepiſcopum, Eccleſiamque Bonon. ad faſtigium Metropolitanæ dignitatis erigit. cap. 7. p. 71
Celebrat Concilium Peouinciale, cuius confirmationem obtinet Romæ, vbi aliqua præſtat. cap. 8. p. 76
Defuncto Vrbano Septimo agitur de ſubrogando Palæoto. c. 9. pag. 79.
Ab Albanenſi tranſit ad Sabinenſem Epiſcopatum. Maronitarum ſuſcipit Clientelam. cap. 10. p. 83
Alphonſus Palæotus renunciatur Eccleſiæ Bonon. Coadiutor cap. 11. p. 85

De

De Monumentis ingenij Card. Palæoti, ac de ſtudijs, quibus litteratorum amicitiam excolebat. cap. 12. p.92
Innocentio IX. præclaram nauat operam. Clementis VIII. permiſſu ad Eccleſiam Bonon.reuertitur, in qua Synodum celebrat, Pœnitentiarioſque inſtituit.cap.13. p.94
Agit cum eodem Clemente,vt Henricus in ſinum Eccleſiæ recipiatur, Hyacinthuſque Polonus referatur in ſanctorum numerum cap. 14. p.97
De ſupremo tempore vitæ,ac de eius obitu.cap.15. p.100
De eiuſdem funere,& quibuſdam alijs. cap.16. p.103

Libri Tertij.

QVa ratione ſe geſſerit Gabriel erga Deum, ac Cælites. cap.1. pag.106
De eius liberalitate erga pauperes.cap.2. p.110
De amore Card.Palæoti erga familiares ægrotos,cap.3. p.112
Animi eius ſubmiſſio. cap.4. p.113
Iuſtitiæ, ac prudentiæ laude floruit. cap.5. p.116
Quanta viguerit animi conſtantia. cap.6. p.118
Vita eius quotidiana. cap. 7. p.124
Innocentia eius,& modeſtia. cap.8. p.126
AEdificia,& alia magnificentiæ monumenta.cap.9. p.128
Principes tùm ſacros, tùm profanos, alioſque multos hoſpitio recipit.cap.10. p.131
De Cardinalis corporis forma.cap.11. p.132
Nonnullorum teſtimonia de Cardinalis Palæoti virtutibus. cap. 12. p.134

FINIS TABVLÆ.

ERRATA GRAVIORA.

In fronte deſunt:

LIBRI TRES.

Err.		Corr.
pag. 7	tentatum	tentatam
9	linguma	linguam
21	conſiliandis	conciliandis
24	ſumam	ſumma
26	propriam	propriæ
38	ſuperauit	ſuperarit
43	dignitatis	dignitati
45	acceſſa	accenſa
64	maturaſcentes	matureſcentes
68	ſe ipſum in	in ſe ipſum
85	Inſularum	Inſularum
	Coauditor	Coadiutor
92	iuum	viuum
100	fuit	dele
105	hoſpitijs	hoſpitij
108	munerabat	numerabat
	perfidas	perfidus
112	palatium	palatium eos
	le	Dele

114 linea prima deſunt quædam verba

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google